Dm. 11648 V. 23

I. N. D. E. N. J. C.

DISSERTATIO
DE
PRODIGIIS SANGVINIS,

Quam

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,

D. & HISTOR. PROF. PUBL. ORDIN.

Publicè proponit

JOH. ELIAS STARCK,

Vratislaviâ Silesius.

IN AUDITORIO PHILOSOPH. MAJORI,

Ad D. XXX. DECEMBR. ANNO MDCLXXVI.

Francofurti ad Viadrum,
Excudit CHRISTOPHORUS ZEITLERUS.

23.

⁂(o)⁂

DISSERTATIO DE PRODIGIIS SANGVINIS.

PRodigiosa tempora sunt, in quæ incidimus: Natura humana, rerum Sublunarium Domina, tristium bellorum in politiore sui parte sævitiam patitur, & in interitum proprium armatur, ipsa sui veluti prodigium reddita. Nec minor Naturæ universæ in seipsam sævities, quæ pari prodigiorum apparatu, modo Elementorum fidem mutasse, & à media æstate frigus immisisse, modo novum qvoddam diluvium imitari, modo ardentissimo æstu ignis exitiū minitari, indeq; in plantas, animalia, homines, ex contrariis quidem causis, sed æquè crudeli strage ferocire sesquianni spatio visa fuit. Hac certè connexione Servator olim prædixit, Gentem in gentem & Regnum in regnum insurrecturum, famemq; pestem & terræ motus singulis locis futuros: *Tunc erunt signa in Sole & Luna & Stellis: & in terra anxietas, gentiumq; in consiliis inopia, resonante mari & salo; Exanimatis hominibus præ metu & expectatione malorum eorum supervenientium in orbem terrarum, nam potestates cœlorum concutientur.* Luc. XXI. 25. 26. Nimirum Dominæ mores imitatur famula, & qvoties homines humanitatem ponunt, toties ipsam quoq; sui immemorem esse oportet. Nos itaq; nihil præter rem facturos rati sumus, si partem hujusmodi Laborum ejus tum verorum, tum vulgo creditorum in Prodigiis Sangvinis recensendis, & ex ejusdem naturæ moliminibus illustrandis hic nostram faciamus, qvippe tempori & rerum humanarū

ſtatui præſenti conformem. A Benev. Lectore autem, ut veniam Nobis det, ſi quid minus digni in tanta rerum naturalium accuratione, quæ hodiè Eruditum Orbem habet, attulerimus, ſubmiſſe rogamus.

CAPUT I.
DE PRODIGIIS SANGVINIS AEREIS.

I. De Prodigiis in genere, Scriptores Prodigiorum, Non omnibus fidem habendam, Monſtrorum Scriptores non neceſſaria curioſitate fatigari. II. Prodigia Solis Sangvinei, Phænomenon tempore Cladis Joh. Friderici Electoris, Ludovici ab Avila Hyperbole. III. Pluviæ Sangvineæ Prodigia Papilionibus tranſcripta à Sleidano, Thuano, Peireſcio. IV. Examen vulgaris Phyſicorum ſententiæ de generatione pluviæ hujus ex elatis vaporibus rubris: Horticulturæ conatus de colore Sangvineo Plantis inducendo. V. Exempla Plantarũ vulgarium rubro colore tingentium, Arcanum Rei Vinariæ tingendi Vini ſervato ſapore vinoſo; Sangvis Danorum in Anglia. VI. Dari vapores qui colorem ſecum deferant; Deſtillatoriæ novæ hac in re ſpecimina; Godofr. Wendelini Pluvia Purpurea. VII. Cruces Purpureæ ſimiliare in Aere viſa; Judicium de his Apparitionibus.

I.

DE PRODIGIIS generaliter à Scriptoribus hujus generis prolixè actum eſt, vocanturq; ab iis Signa cum relatione ad Judicia DEI eorumq; Effecta & eventus. Videndi *Autor Chronici Prodigiorũ & Oſtentorum ab exordio mundi usq; ad An. MDLVII.* qui tamen prohibitus *in Indice Expurgatorio Urbani VIII. Benedicti Dubenſis Catalogus Prodigiorum: Quinq; Libri Prodigioſarum Hiſtoriarum,* Gallicè ed. Antvv. An. MDXCV. qvorum primi Autor eſt *Boisteau;* ſecundi *de Teſſerant;* tertii *de Belleforeſt;* quarti *Roder. Hoyer;* qvinti *Belleforeſt:* ante quam alia jam prodiit A. MDLXXVII. Et *Alſtedius in Chronologia tit. XXXII.* imprimis LIV. & LV. *Lycoſthenes de Prodigiis; Zvvingerus* in Theatro; *Julius Obſequens* de Oſtentis, cum additis *Polydori Virgilii Dialogis:* & *Camerarius* de iisdem *Cent. I. c. 1. 35. 56. & Cent. II. cap. 3. 5. 6. 45. 55. 67, 81. Plinius Lib. II. c. 41. 56. 84. & 8. 41. & 18. Petri Tvvisk* Chronicon

nicon Cometarum & Prodigiorum, Belgicè MDCXXIV. Qvorum meminit *Voetius Vol.II.Disp.de Sign.& Mirac.Part.I,* Add. *Conr. Lycosthenis* Prodigiorum ac Ostentorum Chronico; *Jobi Fincelii* de Prodigiis, & uti Germanicè sonat: Beschreibung und Verzeichnüß schrecklicher Wunderzeichen und Geschichten ꝛc. *Casp.* Goldwurm warhafftige Beschreibung aller Göttl. Geistl. ꝛc. Wunderwercken; Et è Veteribus Historiarū Mirabilium Autores Græci ed. *J. Meursio.* Julius Obseqvens etiam Libro Prodigiorum, Polidorus Virgilius de Prodigiis Libris III, & Joachimus Camerarius de Ostentis Libris II. simul editi prostant Basil. 1552. 8vo. Conferantur Monstrorum Scriptores, cujus generis extant Tractatus *Georg. Weinrichii* & *Fort. Liceti de Monstris.* Item Tomus peculiaris *de Monstris Aldrovandi* Tomis de Animal. insertus; & *Arnold. Sorbinus* Theologus Tholosanus Monstra à Constantino M. usq; ad An. MDLXX. describere conatus fuit. Quorum tamen magnam partem, maximè eorum, quæ à Scriptoribus Ehnicis primum producta sunt, iuter Figmenta Poetarum, aut Sacerdotum Gentilium, aut adulatorum, cum Voetio referre ausimus. Specimina V. apud eundem *Voetium cit.l.Part.II.§.2.* Possent etiam non necessariæ hac in re Curiositatis humana ingenia accusari; Quanquam præcipue in illa de Monstris materie eam accusare fas sit, negocio certe inter tot necessaria humani generis vix utili. Cur enim Naturæ defectuum satageremus, quam in ordinario sui cursu vix agnoscimus? Neq; perficimur etiam hoc scribendi genere, cum non nisi qua in re Natura erraverit demonstret; In infinitum præterea tendit, æqve ac omne quod à rectitudine sua deviat, in infinitum ducit.

II.

A nostris vero ut inchoemus, primum PRODIGIA Sangvinis Aerea tractanda suscipimus h.e. Ea, quæ supra nos vel fiunt, vel fieri creduntur; Ac primo quidem sunt PRODIGIA SOLIS SANGVINEI, qvorum crebro à Scriptoribus mentio fit. Et ne Ethnicorum commenta afferamus An. DCCCCXXXV. Sol sereno Cœlo obscuratus legitur, & per fenestras domorum radios immisisse sangvineos, apud *Sigebertum* ad hunc A. & ex eo *Trithemium Chron. Hirsaug. ad h. A.* Autorem *Magni Chronici Belgici* ad h. A. *Lycosthenem* de prodigiis ad h. A. *Zvvingerus* ex aliis refert, visum esse Sangvinem per aliqvot dies qvasi ex Sole effluere, idemque indicium secutæ magnæ Pestis fuisse. Sed vel illum Solem Sangvineum qui A. DCCCCXL. iterum visus fuit, quemq;

 referunt

referunt *Lycosthenes* ad An. DCCCCXL. *Mich. Sachse* Käyser-Chronick Part. III. In Ottone I. c. 8. *Joh. Herold.* im Wunderbuche/ cum hoc confundit; Vel hi more in Prodigiis solito ex uno Phænomeno duo fecerunt, qvod vero similius; Ex antiqvis enim Scriptoribus istorum temporum non putamus esse, qui posterioris istius disertè meminerit. An. MVI. iterum circa Cal. Maji Sol rubeum præ se tulit colorem, referente idem *Zvving. Vol. V. L. IV.* Aliaq; hujusmodi exempla passim habentur. Inter recentissima est Phænomenon hujusmodi Solis Sangvinei An. MDCLXI. Mense Julio visum, de qvo etiam commentatus fuit aliqva *Cl. Placentinus* noster von der Blutrothen Sonne eod. A. edita. Atq; utinam omnium æqve ac hujus generis Prodigiorum reddi posset ratio, quæ non aliunde pendet, quam à vaporibus fuligineis Soli obversis: Talis enim Sol etiam apparet licet clarissimè alibi luceat, si per crassiorem fumum aspiciatur. Visum fuit idem Phænomenon illis diebus, cum Johann. Fridericus Elector Saxoniæ à Carolo V. Imperatore vinceretur; Et Johanni Friderico futuram cladem ita denunciatam fuisse notat quidem Historicus adversæ partis, *Lud. ab Avila Commentar. de Bell. Germ. Lib II. p. 126.* additq; hanc Solis cruentam faciem repetitis atq; enumeratis diebus, quo die prælium secundum Cæsar fecisset Noribergæ, & in Agro Taurino, & in Gallia, qvēadmodum Rex ipse postea retulerit, animadversum esse. Sed alterum istud qvod itidem subdit, hyperbolem qvandam Historicam nimis manifestam continet: Solem non tantum Sangvinolentum apparuisse, *sed qvod mirabilius est, perinde ac si cursum tardasset spatiumq; diei addidisset, cum intentius intueretur, altiorem quam horarum ratio ferret, visum esse. Constans*, inqvit, *hac de re opinio est, nec ego certè refellere ausim.* Sed certè talis illa visio fuit, qvalem posthac crediderunt in Gallia, cum ad stupendam Parisiorum Lanienam Sol exsultare, Regi è fenestra prospicienti visus diceretur, apud *Spring. de Pac. Rel. c. II. p. 26.* Vel qvalem Ecclesiastes ille apud Autorem Politici Alamodici Principi suo vindicat: Er hielte davor/ daß die Sonne nicht weniger die Nacht über als bey Tage würde stille gestanden seyn/ und zu Verfolgung der Feinde geschienen haben / wie zu Zeiten Josuæ/ wenn nicht die gegenwärtige Sonne ihre Fürstl. Durchl. selbst mit den Stralen Ihrer Heroischen Augen ein solch Schrecken / Furcht und fliehen in die Feinde geschossen/ daß Sie wie leichtscheuende Fledermäuße zerstoben und verflogen.

III. Alte-

III.

Alterum hujus loci Prodigium est PLUVIA SANGVINEA, inter cujus memorabilia Exempla illa fuit, quam crediderunt cædem Mauritii Electoris portendisse, de qva infra pluribus. Similiter statim post patratam necem Egmonti & Hornani Comitis A.MDLXVIII. in Agro Lovaniensi Sangvinem pluisse nunciatum fuit. E qvo tunc præsagierunt brevi Belgium omne tumultibus, contra quam Albanus existimaverat, involvendum, apud *Stradam Decad. I. Lib. VII.* Sed causæ hujusmodi pluviæ tales nunc ferè habentur, qvæ totam dubiam & suspectam, aut plane nullam reddere possunt. Legimus apud *Gassendum in Vita Peiresciij Lib. II. p. 270.* Peirescio toto Anno MDCVIII nihil magis placuisse, qvam qvod observaverit circa Pluviam Sangvineam, qvam decidisse rumor percrebuerat sub Julii Mensis initio; Conspicuis nempe maximis guttis tum in ipsa urbe ad parietes Cœmeterii majoris Ecclesiæ, tum prope muros, ac ad muros ipsos; ac rursus ad parietes villarum, pagorum, oppidorumq; ad aliqvot milliaria circumvicinorum. Accessisse itaq; Peirescium ad inspectandum guttas illas, qvibus lapides rubescerent, nihilq; non egisse, ut alloqvi posset, qvos agricolæ memoraverant ultra Lambriscum ita fuisse perculsos, ut derelictis operis in vicinas ædes cito aufugerint, fabulam v. hanc narrationem comperisse. *Succurrit interea casus*, inqvit porro Gassendus, *ex qvo sibimet visus est genuinam causam detexisse. Qvippe ante aliqvot menses concluserat pyxide inde inventam qvandam Chrysalin magnitudine formaq; insignem: Ejus cum amplius non meminisset, excitari bombum inaudiit intra pyxidem, eaq; adaperta deprehendit Chrysalin deposito spolio formatum ex Eruca Papilionem pulcherrimum, qui statim avolaverit, reliqueritq; in fundo* Guttam rubeam *amplitudine solidi vulgaris. Quoniam verò id contigit circiter idem Mensis initium, ac per idem tempus observata est Papilionum confertim per aërem transvolantium incredibilis multitudo idcirco opinatus fuit, & Papiliones hujusmodi interqviescentes parietibus diffudisse illic quoq; excrementum, guttas similes, magnitudine vero pares. Qvare iterato accessit comprobavitq; guttas illas non supra ædificia, non in devexis lapidum superficiebus extare, uti debuerat contigere, si è cœlo sangvine pluisset, sed in subcavis potius ac in foraminibus, ubi animalcula potuerunt quasi nidulari. Accessit, quod parietes iis tingebantur, non qui in mediis oppidis, sed qui agrorum vicini erant, neq; secundum partes elatiores, sed ad*

me-

mediocrem solum altitudinem, quantam volitare papiliones solent. Hac ratione proinde est interpretatus, qvod Gregorius Turonensis refert de PLUVIA SANGVINEA Childeberti tempore conspecta Parisiis in diversis partibus; Et in domo qvadam Territorii Sylvanactensis: Itemq; qvod memoratur temporib9 Regis Roberti sangvine pluisse circa finem Junii, adeo ut sangvis qvi cecidisset super carnem, vestem, lapidemqve non posset aqva elui, posset verò qvi super lignum. Qvippe idem fuit papilionum tempus, ac recentes qvoq; has guttas elui non potuisse ulla aqva è lapidibus comprobatum est. *Hæc & similia cum apud Varrum magna corona disseruisset, placuit simul rem explorare, contigitq; ut cum Varri per agros incederent, guttas qvoq; multas deprehenderint in lapidibus rubibusq; sed ad cavas tamen, subvexasq; non cœlo obversas partes.* Hactenus Gassendus. Nosqve hac in re confirmarunt propria experimenta, in eodem negotio sumta Oxoniæ An. MDCLXV. mense Julio, cum itidem complures Papiliones tertiæ magnitudinis occurrerent qvi manu prehensi Guttas Sangvineas emittebant, qvarum reliqvias, cum in campis aliud deesset qvo exciperemus, qvæ copiosè tunc suppeditabantur, in papyro tunc præsenti hodienum asservamus, Colorem sangvineum dilute rubentem præter morem sangvinis exsiccati adhuc referentes, idipsum verò attestantes qvod Peirescium ante observasse vidimus, colorem sui tenacem esse nec nigricantem, qvod vero sangvini post depositam humiditatem alias usu venit. Papilionem tertiæ magnitudinis vocavimus, in tanta animalium hujus generis varietate; Alæ ejus superius subfuscæ undulatæ, adversa sui ex luteo pallidæ parte aliqva rubentes, totæ vero maculis argenteis Interstinctæ apparent. Idemqve posthac tum Oxoniæ, tum hic Francofurti in Papilionum isto genere, qvod Zoologi Erythromelanon vocant, observavimus. Nec tamen Peirescius primum hoc de PLUVIA SANGVINEA suspicatus fuit, sed idem jam præterito seculo An. MDLIII. suspicati fuere, qvi Mense Junio guttas cruentas in foliis arborum passim per Germaniam hærentes viderant: Aliis id qvidem ad Prodigia pugnæ inter Albertum Marchionem & Mauritium Electorem, qvæ die 9. Julii istius anni commissa fuit, qvave Mauritius cecidit, referentibus. Neq; dubitavit Celeberrimus *Joachimus Camerarius* id Orationi suæ inserere Lips. habitæ ad funus Mauritii, cum præduceretur XIII. Cal. Augusti. *Sangvinis profecto guttæ, tuum Illustrissime Princeps sangvinem, pro Rep. profusum significarunt, quas in tuis terris largas super folia arborum, materiam ædificiorum & utensilia decidisse & hæc polluisse constat.*

constat. Sed id ipsum ad Papilionum ingentem nubem, tunc passim volitantium, multi referebant, qvibus ruptis hic cruor emanavit. *Thuan. ad Annum MDLIII. Hist. Lib. XII.* Item Sleidanus Comment. Lib. XXV. *Et sane quantum ad guttas illas cruentas pertinet, multis in locis vulgò conspectæ sunt. Et Argentinæ quidem, sub initium Junii, cum super herbas, frondes, tegulas atq; saxa decidissent; Volitabat tunc ingens turba Papilionum, neque deerant, qui cruorem hunc ab iis emanare dicerent: Alii contra, portendi aliquid atque significari indicabant.*

IV.

Cum vulgo Physicorum hac de re experiri operæ pretium haut erit. Videtur naturæ aliqva hujus Prodigii transcribi posse, & cum qvod assignarent non esset, elevatis ex terra rubenti, aut locis ubi multum sangvinis profusum fuerit, Vaporibus causam transcripsêre; Qvod in terminis hisce propositum falsitatis merito accusamus, & accusavit jam pridem Bartholinus *Instit. Phys. Lib. VI. c. V.* Et post eum Peirescius apud Gassendum, ipseqve Gassendus *Phys. Sect. III. Memb. I. Lib. II. p. 77.* Constat enim Vapores dum efferuntur, rerum calores communiter exuere & dum in liqvorem concrescunt, aqveum duntaxat exhibere, qvemadmodum vapores eductos è Rosis rubris similibusve, in limpidam aqvam concrescere tota die videmus. Et meminimus qvidem τὸν Δεῖνα respondere colorem s. album s. rubrum inseparabiliter inhærere Lacti ac Sangvini, ut non possit in vaporibus aboleri vel calore alio infici. *Instit. Phys. Lib. V. c. VII. §. 12* Sed hæ nugæ sunt, & tyronibus destillatoriæ Artis satis notum est, nec lac nec sangvinem si destillentur, in albos aut rubentes Vapores, sed more aliorum corporum liqvidorum, prorsus simili resolvi: Nec alia solis vapores attollentis est ratio, certè non alia foret, si Lac aut Sangvinem attolleret. Idemq; Error, ex rubro corpore ruborem subtilem evocandi & aliis corporibus conciliandi, id genuit, qvod Scriptores Magiæ naturalis, Horticulturæ & Rei Oeconomicæ, de colore Sangvineo plantis inducendo allegare solent, affundendum esse sangvinem radicibus, sic flores rubentes secuturos: Nimirum putant sangvineum colorem, dum succi aliqvid ex sangvine radices attrahunt, simul attractum eoq; in substantiam florum diductum iri: Sed falsò credi vapores rubros è sangvine surgere jam docuimus; Et sicubi fit, ut successu non plane fraudentur hortulani in his laboribus, id per accidens est. Sangvis enim veluti brevi in putredinem resolvitur, ita pingvedinem suam communicat radicibus, qvæ copioso hoc succo turgentes & floris lætiorem producunt.

V.

Jamq; licet infinita Magiæ naturalis ſpectacula conciliando colori rubro allegari poſſent, è qvibus materies PLUVIÆ SANGVINEÆ præberi poſſet, nunqvam tamen ea ſunt, qvæ propoſito huic ſatis reſpondeant. *Radices Echii exteriores*, ſucco rubente turgent, ipſasq; manꝰ eo afficiunt; Idem uſus ac multo major eſt *Radicum Anchuſæ; Radices Cynogloſſæ,* coctæ itidem rubent. *Radices Tormentillæ* Spiritu Vini extractæ ex aureo colore grata rubent. *Cortices Radicum Salicis rotundifoliæ* itidem rubent & coctæ aliis corporibꝰ ruborē addunt. Sic *Flores Hyperici* qvamvis lutei ſunt, ſi terantur, rubentē colorē linteis conciliant, ne qvid dicamꝰ de fructibꝰ, rubenti ſucco turgentibꝰ, moris, ceraſis ſimilibusq;, qui veluti famoſæ iſti Tornæ Solis originem præbent, ita in alia corpora ſuccum ſuum transfundere non improbabiliter creduntur. Et qvod Lectori horum minus gnaro vel etiam rei Vinariæ petitis haut ingratum fore ſperamus, folliculi Uvarum expresſi, ſi ab osſiculis purgentur, gratisſimum Vino colorem rubentem ſine omni peregrino ſapore, quem alias Torna Solis aliaq; hujus generis efficiunt, conciliant; Neq; noſtro tantum, ſed Vinis exoticis etiam, ipſiq; Hiſpanico, qvod Sectum vocant, non ſine gratia ſpectantium nos eum conciliaſſe meminimus. Ebulus etiam, Sambuci Humilioris ſpecies ſ. Sambucus Herbacea, Baccas more Sambuci purpureo ſucco turgentes geſtat, effecitq; eo, ut *Sangvinis Danici* Nomen, *Danesblood*, apud vulgus Anglicum acceperit, ratum poſt fuſum Danorum Exercitum ad Pagum Slaughterford ex cæſorum militum Sangvine herbam ſuccreviſſe. Sed omnium horum ſimiliumve communis defectus eſt, quod virtutem hanc, qvippe vel nimis volatilem, vel nimis fixam vaporibus ſuis non relinqvat, unde nec ſubſidii quicquam ad ruborem ſupra in aere generandum ab iis expectari poteſt.

VI.

Interim imposſibile non eſſe vapores rubros attolli, tum nota *Spiritus Vitrioli* deſtillatio docet, qua vas recipiens colore ſubrubro à vaporibus tingi videtur, dum egreſſum ſuum parat Spiritus, tum nova ex herbis imprimis Deſtillandi ratio, qva vapores elevati colorem ſecum attollunt & in vas recipiens deferunt, qvod in deſtillatione *Roris Solis* ita fieri obſervat *Crollius Baſil. Chym. p. 164.* Aqvam Croci etiam & Verbaſci florum deſtillando flavam egredi addit: Quæ poſteriora tamen Experientiæ reclamant. In radicibus Pimpinellæ, quippe quæ gratisſimo liquore cœruleo turgent, idem invenit diligentisſimus *Wolffgangus Krettendorff*, & exco-

excoluit Experientissimus *Dn. Joh. Sigism. Eltzholtz in Destillatoria Curiosa.* Nimirum oleosus liqvor cœruleus Radicis, intra seipsum se veluti concentrat affuso Spiritu Vini (nam nullum ejus vestigium remanet post infusionem factam, licet Radices sectæ eundem, antequam injiciantur, adhuc habeant) sicq; postea benigno calore ignis motus id, quod verè habet, à radice evocatum in spiritum transfundit: Unde & ratio seqvitur, cur alia corpora, lutea vel cœrulea, & in specie Verbascum & Crocus apud Crollium non eodem modo colorem suum in destillatione communicent, quia sine tenaciori isto oleo sunt, quod in Rore Solis & Pimpinella occurrit. Idem confirmat varius ille Lixiviorum apparatus, item Urinarum colores, Sale liqvores pro corporum, è qvibus natus est varietate, in diversos ejusmodi colores disponente; E qvo etiam *PLUVIAM PURPUREAM Godofredi Wendelini* dijudicandam opinamur, cujus Historia, veluti singulariter ab illo recensita fuit, ita exinde aliorum Librorum partem fecit, ut nulla repetitione nostra indigeat. Sed Phænomeni ratio ad eum modum videbitur se habere, quo diximus Lixivia colorata generari. In quam Classem & *Pluviam* ita dictam *Sulphuream* compingimus, de qua meminimus extare Tractatum *L. Dan. Beckeri*, sed nobis nec dum visum. Apud nos certè illa materies, quam cernimus colore Sulphureo aquam pluvialem recens delapsam circumjacere, non nubium aut vaporum est, verum ipsius terræ, & sulphur solo colore imitatur, oleositate autem, adeoque flamma vel odore nihil cum eo commune habet; Unde nec Sulphur, sed partes tenuiores gemmarum, florum aliorumve naturæ vernantis operum, vel sponte sua vel venti violentia delapsas & dispersas, aquæ autem postea innatantes eaque subsidente proximæ terræ adhærentes esse opinamur.

VII.

Visæ etiam aliquando CRUCES PURPUREÆ in aëre, quales illæ fuerunt, quæ ante obitum Johannis Friderici Electoralis Saxoniæ & Conjugis Ejus Sibyllæ apparuerunt, referente *Michael.* Sachsen Käyser Chronicke *P. IV. fol. 371.* Similem Crucem An. MDXLVII. Romæ visam idem prodit *fol. 347.* Et A. MDLXIII. *Vexillum Sangvineum* in Aere visum fuisse *ib. fol. 372.* Sed videtur Scriptor hic non minus ac Livius apud Autorem Belli Grammaticalis à Rege Poeta nimiæ in procurandis Prodigiis superstitionis accusari posse. I-

dem *Part.III.p. 219.* recenſet Phænomenon Sangvinearum Nubium ex *Chron. Hedionis fol. 413.* quod tamen ex qualificata luce Solis cauſam accipere potuit, quemadmodum hæc ipſa quoqve cauſa eſt rubicundæ faciei Cœli, qualis apparuit cum Sveno, Canutus & Waldemarus de Regno Daniæ certarent *T.Helmoldo Chron.Slavor.C.LXVIII. fol.141.* Item cum Philippus Græciam occuparet, indicante ex antiquis Autoribus *Herlicio in Spec.Phyſ. & Hiſtor. de Pluv. Prodig.* Omnium vero etiam communem cauſam ex Principiis Opticis pendere poſſe ille agnoſcet, qui *Morganam* Freti Siculi, Paraſtaſin tota natura celeberrimam, expenderit, qua ſæpe Caſtella, Palatia, Silvæ, Greges, Exercitus maximo numero in medio mari conſpiciuntur citra ſingularem Prodigii aut Miraculi metum, ſolo naturæ ludentis ductu: E qvo etiam æſtimandum veniet, quod de apparitione Exexercituum, Virorum, Animalium in nubibus viſorum ſpeciem veri præ ſe habet.

CAPUT II.

DE PRODIGIIS SANGVINIS INANIMATIS IN TERRA.

I. Lapides Sangvinei Wrietzigenſes, II. Sanguis Udonis ArchiEpiſcopi Magdeburgenſis Lapidibus aſperſus; Dubia de hac Hiſtoria: Ratio Conciliandi Sangvineum colorem Marmori. III. Kircheri Experimentum tingendi Marmoris examinatum & refutatum. IV. Aqua, Glacies Sangvinei coloris, V. Panis & alia eſculenta Sangvine manantia. VI. Cruces Sangvineæ aliaq; inſtrumenta Paſſionis Dominicæ in veſtibus hominum initio præteriti Seculi viſa.

I.

PRodigia hæc Inanimata à Subjectis vocamus, in quibus hærent. Et primo quidem LAPIDES SANGVINEOS allegandos duximus, quorum, in tenui hujus loci rerum naturalium apparatu, divitem copiam præbent Colles pago noſtro *Wrietzig* milliari abhinc adſiti, in qvibus ſcaturigo eſt, æſtate frigida, ed hyeme calens, tota vero lapidibus repleta, qui varia figura, majori, minori, minima guttas ſangvinis referunt, retinentque, colore

lore tantum in purpureum inclinante, si liberiori aeri continuo exponantur, nigrorem vero induente post ignitionem lapidis. Quem effectum aquæ transcribendum esse argumento est, quod pars lapidum inferior, qua terræ adjacent, maculis hisce careat, sola superior vero iis instructa sit. Idem experti fuimus, dum aquam quam lagenæ vitreæ inclusam asservavimus, aliquando lapillum ei injectum, itidem rubente, dilucidiori tamen, colore, post spatium trium hebdomadum tinxisse deprehendimus; Indeqve porro rationem eruimus, cur non toti lapides sangvinei reddantur, cur guttis tantum aspersi appareant? Nimirum qviete opus est aquæ, ut tincturam communicet: Aquæ scaturientes hujusmodi a. quia in profluente sunt, non qviescunt, inde totos lapides haut facilè tingere possunt; Maculas tamen producunt, ob foliorum à circumstantibus arboribus & fruticibus in aquam delabentium, & lapidibus subinde adhærentium copiam. Circumstant autem Acer majus latifolium, Tiliæ, Ulmi, Qvercus, Coryli; Hincqve majores maculæ: Minores à folliculis Ulmorum, qui inprimis magna copia lapidibus adhærent, iisqve & maculæ quædam exactè respondent, & quia in medio concavi sunt in circumferentia depressi, ideo maculæ Guttam Sangvineam in medio dilucidiorem, circumferentia crassiorem referunt: In concava folliculi parte enim aqua minus qvieta est, in extremis vero simul folliculo tenaciter adhæret lapidi, ideo hic validius operatur: Quæ ratio quoque, cur, cum à foliis majoribus maculas majores derivemus, illæ tamen haut perinde exactè figuræ foliorum respondeat, ac minores folliculis Ulmi respondere diximus: Quia haut æqua tenacitate adhærent, maculam itaque ibi tantum producunt, ubi arctior folii & lapidis conjunctio est, quanquam ne hac in re quidem ab omnibus speciminibus destituamur, figuram quippe folii Tiliæ & Nucis Avellanæ Lapis, quem Bibliothecæ Publicæ commisimus, non obscure ostendit; An aqua materiem simul advehat, qua lapides tingantur & an beneficio Salis acidi cujusdam mucum lapidibus subinde adhærentem ita transformet, in medio relinqvimus. Observare utique licuit maculas has, quantumvis sui tenaces sunt, Spiritui vini cedere, materiemque rubentem Sangvini Draconis non dissimilem relinqvere.

II.

Similia SANGVINIS vestigia lapidibus impressa passim à Scriptoribus mediorum seculorum annotantur, inter quæ, ne multa allegemus, collocandum, quod *Autor Lavacri Conscientiæ* aliique seu Fabularum s. Piarum fraudum Scriptores commemorant, de *Udone ArchiEpiscopo Magdeburgensi:* Ipsum intemperanter vixisse, tandemqve, cum nullam spem emendationis præbuisset, in Dominica Magdeburgensi à S. Mauritio decollatum interiisse, inhæsisseqve postea per aliqvot secula Sangvinem Udonis pavimento marmoreo. V. *Lavacrum Conscient. Cap. XV.* Item Nauclerus *Vol. II. Gener. XXXIV. Hujus horrendi Prodigii memoria, Cruor Udonis, in marmore candido ad terrorem aliorum ostenditur.* Fulgosus s. potius CampoFulgosus Exempl. L. IX. c. XII. *Cujus sanguine cum & respersum templi pavimentum esset, Sacerdotes ferrea crate cruorem cooperuerunt, quem novis Episcopis ostendere moris habent, ut eo sangvine à scelerate vivendo deterreantur.* Et ex iis *Corn. à Lap. in Joel. II. f. 253.* Qvam rem tamen falsitatis merito accusat Pomarius 1. Qvia talis Udo nusqvam in serie ArchiEpiscoporum Magdeburgensium compareat. 2. Idem tradatur tempore Ottonis III. & circa An. DCCCCL. vixisse, cum Imperator aliqvamdiu post ista tempora extiterit. 3. Nec Ordo Monialium Cistertiensium tunc fuerit, sed demum A. MXCVIII. cœperit, &c. *Chron. Sax. fol. 253. 254. 255.* Interim lapides instructos Sangvineo hujusmodi Phænomeno apparere posse, non tantum Lapides illi Wrietzigenses indicant, sed etiam novum istud artificium, quo hodienum colorem Sangvineum, eundemque indebilem Marmori candidissimo conciliari posse virtuosis notum est, licet ob raram ejus gratiam id pauci cognitum habeant: Exercuitq;, cum primo illud in Anglia propalaret industrius Vir Bordius Latomus Oxoniensis, complura Virtuosorum ingenia, licet non eodem ubiqve successu, neqve enim solum Colorem Sangvineum, sed Croceum etiam & Spadiceum Marmori infusum videre erat. Et cum varii modi excogitarentur id ipsum imitandi, nunqvam tamen ad istorum colorum gratiam assurgere poterant. Fuit, cum ipsi speraremus successum aliqvem à Sale urinoso, nec defuit nobis color Cœruleus gratissimus, duos digitos & amplius marmori immersus. Colorem Coccine-

cineum etiam f. dilute purpureum ex Coccinella ut imbiberet effecimus, deniqve & faturate Purpureum ope Ligni Brafiliani vulgaris, omnia interventu Salis urinofi validioris. Similiterqve fe id peregiffe ope Spiritus Urinæ, etiam ope Spiritus Vini, *Cl. Hooke* profitetur *in Micograph. Obfervat. XV. p. 97.* Cujus verba à nobis Latio transfcripta fere talia. *Alia etiam corpora poris Marmoris recipi præter unctuofa expertus fum inveniqve intensè cæruleam tincturam, extractam fpiritu Urinæ, celerrimè ac facillimè marmore imbibi, æque ac variæ tincturæ extractæ fpiritu Vini.* Sed cuncta hæc 1. fimplici Urina animalium calidi ac ficcioris temperamenti incitato curfu validius ante adactorum peragi poffe in comperto habemus. 2. Ut intenfi colores fint, non fimplicibus Tincturis, qvales Tinctura Lunæ, Veneris, Santali Rubri, fed Coloribus Subftantialibus opus eft, iisdemqve non tam Mineralibus, qvam Vegetabilibus. 3. Iidem colores, qvantacunqve gratia fint conftantes tamen non funt, cumqve eximio colore, Cœruleo & Coccineo tabulas præparaffemus, poft femeftre fpacium tamen, non amplius nifi lineamenta qvædam Cærulea & Coccinea refidua erant, tabulis ad priftinum alborem fuum revertentibus. Itaqve non abs re idem Cl. Hooke unctuofa corpora affumfit, & de iis eodem loco differit: Marmor candidum aliqvamdiu in Therebinthina aut Oleo Terebinthinæ coctum totum iis imbui; Ac licet partem alboris Marmor remittat, pellucidius tamen fieri, cum antea magis opacum effet: Sicqve etiam fieri fiqvid Picis in Marmore liqvefiat. Sed unctuofa fiqvid præftant, certa figura tamen determinari recufant, qvæ alias etiam hic exhiberi non renuit. Sola igitur Gummata & Refinofa apta funt, qvæ intra poros Marmoris locum obtinere posfint, Picemqve pro colore Spadiceo confilio Dn. Hookii non infeliciter licebit adhibere; Ab his etiam intenfi colores, iidemqve figuris determinati prodibunt. Sed qvod iterum memorabile eft, vix alios, qvam Sangvineum, Croceum & Spadiceum producere licebit; Nec in Alabaftro, fed unicè in Albo Marmore, eosqve tanto gratiores, qvanto Marmor eft durius. Ab Afphalto nigrorem expectavimus, fed fufcum obtinuimus, de nigrore tamen & colore Cinericio non plane defperamus: Viridem ne Alabaftrum qvidem admittit, de Cœruleo nullam fpem effe putamus.

III. Cum

III.

Cum *Cl. Kirchero* adhuc eodem nomine contendendum ducimus. Is negotium hoc, Marmor coloribus imbuendi, *Experimenti novi & rari titulo* dignatus, profitetur se in tanta combinatione & Experimentis rerum effecisse, ut Secretum non tantum eruerit, sed & illud multiplici Colorum varietate ditarit. *Et quoniam Res dignissima est*, edisserit. *Experimentum in Musæo nostro fecimus. Hic totius Arcani rationem Curioso Lectori lubens volensq́, cum multum ad nostri instituti rationes confirmandas conferat, communicabo. Sic autem præparantur Colores. Accipio Aquam Fortem Uncias duas, Aqvæ fortis seu Regiæ itidem Uncias duas, Salis Ammoniaci unciam unam, Spiritus Vini optimi drachmas duas, Auri tantum, quantum novem Juliis emitur, Argenti depurati drachmas duas. Hisce comparatis, argentum calcinatum jam Phialæ impone, & duabus drachmis Aquæ fortis superaffusis exhalandum relinque, & habebis aquã quæ tibi cæruleum colorem, & nigrum postea dabit: Deinde Phialæ impone Aurum calcinatum, & superaffusa Aqua Forti, usq́ dum exhalarit, sepono, deinde Sal Ammoniacum unâ cum spiritu vini affuso relinquo, donec exhalaverit spiritus, & habebis Aurei Coloris Aquam, quæ diversos tibi colores dabit. Atq́ hac arte ex reliquis mineralibus diver-**sos tibi colores dabit. Atq́ hac arte ex reliquis mineralibus diver-**sas colorum tincturas extrahere poteris. Hisce itaq́ peractis, hisce duabus aquis pinges quamcunque volueris imaginem in mormore candido mollioris substantiæ, & singulis diebus renova, nova aquarum superadditione, figuram, & cum tempore comperies picturam totius lapidis soliditatem penetrasse, ita ut sectus in quoscunque volueris partes, semper ex utraque parte eandem tibi figuram exhibeat. Quæ res uti rara & insolita est, ita maximam quoque admirationem spectantibus parit. Mund. Subterr. L. II X. S. I. fol. 43.* Sed jamdudum opposuimus, liqvores hic admisceri corrosivos, aut certè ob præreqvisitam exhalationem Spiritibus valdè imminutos, eoqve ad penetrationem non aptos amplius; Colores deinde assumuntur pellucidi, idemqve nimis volatiles, unde exiguæ eorum, etiamsi penetraret Tinctura, superforent reliqviæ; Neqve dubitamus, siqvid successus adhuc seqveretur, Marmor sensim friabile redditum vel polituram saltem privatum iri; Colores vero tenuius apparituros, &

tandem

tandem opinione citius diſparituros: Cum è contrario artificium hoc reqvirat liqvores, ſive potius ſubſtantiam benignam, coloresqve vegetabiles qvidem, craſſos tamen & fixos. Certisſimi etiam ſumus, ab ipſo juxta iſtam rationem nunqvam figuram aliqvam in marmore produci potuiſſe, licet diſertis verbis id ſcribat, egiſſeqve hic tantum pro ſolito Ingenioſis Arcana celandi artificio: Qvicqvid enim in toto hoc opere liqvorum beneficio peragitur, id Marmor non æqvabiliter tangit, ſed iſthic, ubi poros reperit laxiores & copioſiores, unde nunqvam figuræ reſpondere poſſunt, niſi valdè rudes ſint & fermè non figuræ. Et fuit qvidem, cum rem non plane disſimilem in calcis lapide, cujus durities nota eſt, obſervaremus, dum forte impoſitum vitro, cui mixturam ad formandam Arborem Philoſophicam immiſeramus, poſt peractam mixturæ iſtius effervefcentiam, ſurgenteqve jam arbuſcula, nigrore mediocri tinctum qvousqve Exhalationes eum attingere potuerant, deprehendimus, eodemqve in interiora Lapidis ad digiti latitudinem immerſo, eo dilutiori vero, qvo partes à ſuperficie remotiores erant; Nec repetitione aliqva opus erat, ſed itidem uno tantum actu; Nec deniqve figuræ aliqva ſpes erat, ſed exhalationibus qvaqva verſus libere meatus patebat. A vera autem ratione longisſime abeſſe *Kircherum* argumento eſt, qvod Marmor reqvirat mollioris ſubſtantiæ, & aliqvot diebus repetitam operationem, cum vera ratio Marmor ſolidum reqvirat, qvod iterato profitemur, unicum deinde actum, nullam repetitionem, aut certe maculam in operatione.

IV.

Viſæ etiam AQVÆ SANGVINEÆ in fontibus, ſtagnis, lacubus & ſimil. Miraculum Ægyptiacum hac in re videbimus infra *Capite IV. §. I.* In Hiſtoria Profana hujusmodi Exempla ſunt Fons Saugvinis, qvi Genuæ fluxit An. DCCCCXXXIII. & ſignificaſſe creditur *Cladem ſtatim ſequentem per Sarracenos, qui eam ceperunt & occiſis cunctis ſpoliarunt, Faſcic. Temp. fol. 69.* Ejusdem meminit *Calviſius in Op. Chronol. fol. 583. Herold* im Wunderbuche *fol. 349. 350.* Sed Paulus *Waltherus* Eccleſiaſtes Flensburgenſis in der Blut-Predigt ex uno hoc duo Prodigia facit, qvod augendi deſiderium jam antea qveſti fuimus. Rurſus An. MII. in Lotharingia fons Sangvine manavit, *Herold. cit. loc. fol. 353.* Noſtro tempori Exempla viciniora ſunt,

iſtud, quod Halæ Saxonum viderunt A. MDCXXXI. cum Aqva in foſſis urbis Sangvineum colorem aſſumere, & Menſe Novembri ei A. Stagnum ad pagum Meuſchwitz qvatuor miliaribus Lipſia disſitum eodem colore appareret; Item in foſſis Libſienſibus. V. *Joh. Phil. Abelin. Chron. Contin. ab A. XXIX. ad A. XXXIII. fol. 486.* A. MDCXXXIV. Huſumi in Holſatia Glacies guttis Sangvineis aſperſa apparuit, *T. Walthero* in der Blutpredigt *p. 5.* Recentisſimum Exemplum eſt, qvod præterito A. ab initio Novembris ad finem hiemis usqve in Neo-Marchia in Lacu ad pagum Hermsdorff ſe conſpiciendum præbuit, dum primum Aqva in ripis ad triginta fere paſſus Sangvinea apparuit, poſtea Glacies eundem colorem aſſumſit, non qvidem continuum, per totum lacum vero diſperſum, adeo ut hic guttas majores, iſthic veluti ſangvinem ex vaſe minori effuſum, illic excrementa dyſenteria laborantis præ ſe ferret: Qvod an Præſagium Dyſenteræ, qvæ hoc Anno totam fere Europam habuit, præ ſe tulerit, in medio relinqvimus. Cauſa verò, ſi qvæquam alia, in obſcuro eſt, niſi illa, qvam è vaporibus antehac eruimus, in numerum venerit. Retulerunt enim Piſcatores, ſe proximis diebus ante apparitionem hujus Phænomeni Nebulam purpuream ſurgentem & aqvam lacus velut pellicula qvadam obducentem tribus vicibus obſervaſſe. In Fontibus autem cauſa ad ſcaturiginem terra ferruminoſa interventu ſpiritum mineralium Nitri aut Vitrioli ebullientem referri posſit: Cui rei in demonſtratione thermarum in Phyſicis noſtris nos pluribus impendimus.

V.

Inter ESCULENTA SANGVINE famoſa imprimis panis eſt. Sic L. Martio & Sexto Julio Coſſ. cum bellum Italicum conſurgeret, Arretii frangentibus Panes cruor è mediis fluxit, ap. *Jul. Olſeqvent. de Prodig. c. CXIV.* Similiter tempore Henrici IV. Imp. A. MCIV. *In Epiſcopio Spirenſi Sangvis ex Panibus fluere viſus, nec non & in lenticularum edulio prodigiosè repertus Civile, imo inteſtinum bellum portendere, ſecundum antiquam Hiſtoriæ Romanæ ſimilitdinem, conjiciebatur.* Abb. Urſpergenſis ad dictum A. MCIV. Et Sigebertus ad A. MXCV. *In Comitatu Mamurcenſi Panem ſubcinericeum, quaſi ſangvine infectum vidimus.* Plura forſan alibi legentur. Conf. *Wolfium Lect. memor T. I. fol. 311. & 346. Et T. II. f. 556. & 559.* Qvi tamen nonniſi duo poſteriora, & unum Abbatis Urſpergenſis ter repetitum, ut numerus creſceret, propoſuit.

fuit. Sed circumſtantiæ ab utroq; Autore additæ & hic ad naturæ effectum non obſcurum nos ducunt. Æſtivo tempore dum calor gravior eſt, Panas mucore ſæpe aſpergi notiſſimum eſt, mucor ille pro loci ac temporis varietate colorem cæruleum, luteum, alborem, ruborem induit, & iidem Panes mucore infecti, ſæpe omnes colores ſimul exhibent. A mucore ergo famoſum illud Cruenti Panis Prodigium, qvem cum rubentem vulgo vident, in Sangvinis loco habent, & Prodigium credunt. Sic hic etiam apud nos A. MDCLXVII. factum meminimus; Et cum Prodigium Panis Cruenti paſſim circumferrerur, ocularis inſpectio tamen docuit, Panem non cruentum, ſed mucore rubenti infectum fuiſſe. Namqve Panes ſolito magis mucore infectos circa Solſtitium æſtivum iſtud videre erat, neq; Panes ſolum, ſed pultem etiam ex pane triticio poſt biduum maculis purpureis (æqve ac mucor Panis etiam non tam rubet, qvam colore purpureo affectus eſt) copiosè interſtingui, in ædibus noſtris, qvi tunc nobiscum erat, Politisſimus Juvenis nonnemo obſervavit. Salſamentum piſcis qvoqve, qvem Dors vocamus, ſi cibo præparetur, intra diei ac noctis ſpatium maculis ejusmodi rubentibus ſ. purpureis apparere, in culinis notum eſt. Hæcqve jam ſi Urſpergenſis tempore etiam conjuncta apparuerunt in panibus, in lenticularum eduliis, non aliud præ ſe tulerunt, qvam ſimilem Naturæ pictricis conatum: E qvo etiam *Pauli Waltheri* Prodigia ſolvenda ducimus, qvorum occaſione ille Sermonem Sacrum, **Blut-Predigt/ oder Erörterung allerhand Blutzeichen** A. MDCXXXV. publicavit; **Sey nicht allein fürm Jahre in Eyderſtete und dem Ambte Flensburg das liebe Brodt/ bey Jeverſtete aber/ nicht weit von Rendesburd/ die gekochte Buchweitzen Grütze in Blut verwandelt/ und zu Huſum auff dem Eyſe ſehr viel Blutstropffen/ als wenn es darauff geregnet/ geſpüret worden; ſondern auch neulicher Zeit zu Tonningen in Eyderſtete dergleichen ſich begeben/ in dem das gekochte Fleiſch zu zween unterſchiedlichenmahlen in Blut verwandelt/ und man davon etwas zum Augenſchein gebracht.** Ib. p. 5. Sigeberti Panis Subcinericius verò, & qvos eodem modo tempore Belli Bohemo-Germanici, usqve ad noſtra tempora nonnullibi obſervarunt Panes, Prodigii nomen minime omnium merentur; Nam accidens hoc communiter manet iſtos Panes omnes, qvorum grana in agris ejusmodi proveniunt, qvi *Criſta Galli ſ. Pediculari flore luteo* abundant, cujus ſemen ob exilitatem vel-

uti auferri vix poteſt, ita poſtea in farina quidem iſtum colorem ſuum adhuc celat, ſed ad fermentationem cum farina perductum & calore poſtea excitatum ſubcinericeum iſtum vel Cœruleo vicinum colorem prodit. Ne quid de *Pſeudo Melanthio* ſimilibusve Graminum Cerealium in agricultura impedimentis dicamus.

VI.

CRUCES SANGVINEÆ, qvæ initio præcedentis ſeculi A. MDI. & ſeqventibus per Germaniam paſſim viſæ ſunt, omnium animos affecerunt, maxime qvod alia Paſſionis Dominicæ inſtrumenta, clavi, lanceæ & cætera pleraq; iis intermixta cernerentnr, qva de re prolixæ extant Hiſtoricorum iſtorum temporum narrationes. Ita *Nauclerus Chronograph. Vol. II. Gener. L. Anno Salutis noſtræ 1501. miracula ſane horrenda & inaudita oſtendit Deus hominibus. Siqvidem, ut ſcribit Regi Rom. Maximiliano Leodienſis Epiſcopus, à feſtis Paſchalibus ſingulis diebus in uno vel alio loco Diœceſis Leodienſis apparuit publicè & inopinatè aliquando in Eccleſiis, aliquando in domibus, & in ipſis etiam cubiculis ſignum Dominicæ Crucis perfectum, & fuit frequenter nigrum aut rubicundum, ita etiam, ut in aliquibus putaretur eſſe verus Sanguis cum medulla & ſanie effuſus: & fuerunt plerumqve Cruces ſimplices, aliquando ter duplices, in forma ſigni ſepulchri Dominici. Apparuit autem, inquit, ut plurimum ſuper capita mulierum & maxime puellarum, in earum peplis ſupremo vertice. Et refert idem, ſe deſuper inquiſitionem ſolertem feciſſe, ita quod nec dolus, nec fraus intervenire potuerit.* Confer. *Trithemium Chron. Hirſaug. Vol. II.* ad A. MD. & *Linturium Append. ad Faſcic. temp. ad A. MDI.* & MDIII. Qvorum verba etiam citat *Gretſerus Tom. III. de Cruce L. 1. cap. 52.* Alloqviturqve eorundem nomine Maximilianum Cæſarem Joh. Franciſcus Picus Mirandulæ & Concordiæ Princeps: *Monſtraſti, dum eſſem apud Te in Germania, Cruces, Clavos, Lanceas & alia pleraq., cœleſti quadam nec viſili pluvia corporibus deliniata, & quæ hac de re tibi etiam literis ſignificata fuerant, qua es facilitate, dignatus es è Germanica in Latinam linguam interpretari. Vidi & ipſe, poſtquam à tua Majeſtate diſceſſi, in Italiam rediturus, multa quæ non modo fidem rei jam vulgatæ aſtruerent, ſed majorem multo demirationem incuterent, & univerſam pene Germaniam ad cœleſtia Prodigia religionis ergo commoverent.* Qvo factum qvoqve ut

rem

rem tam celebrem dignamqve posteriratis memoria ſingulari Carmine Heroico exhibuerit, qvod Stauroſtichon inſcripſit, è qvo pars eſt:

Hic demiſſa recens populi myſteria, mirum
Attoniti inſpectant homines, ac inanima pasſim
Inſcribunt puro delapſo inſignia cœlo.
Sanguinolenta Crucis Claris memoranda triumphis
Effigies latè ſpectatur, ſpongia, flagra
Viſuntur: Tunica inconſutilis intima, clavi
Cernuntur multo madefacti ſanguine, telum
Quod ſacram ſævo diſcreverat impete coſtam
Pingitur, excubitor criſta ſpectabilis ales
Tergeminiq́; micant tali, quos inclyta Chriſti
Jecerat innocui ſortitus tegmina miles,
Non ignota cano, Cæſar monſtravit, & ipſi
Vidimus, innumeros promſit Germania teſtes, &c.

Sed ſimiles jam olim videre licuit A. XXVI. Ottonis I. Chriſti DCCCCLX *Prodigioſa res multos terret, & à vitiis coercet, notis Crucis in veſte plurimorum apparentibus, quorundam autem veſtibus quaſi lepra ſordentibus.* Sic Autor *Magni Chronici Belgici*, & verbis fere iisdem *Nauclerus Vol. II. Generat. 23.* Qvam varia v. præſagia inde capita fuerint ex citatis Hiſtoricis colligere erit. Gravisſimæ peſtis proximis annis ſecutæ indicia fuiſſe ſuſpicantur iidem aliive pasſim. Eccleſiaſtici tales apparitiones augendæ pietati accidiſſe rati ſunt, qvo ſine Gretſerus Libellum allegat: *Collectio Reverendisſimi Patris & Domini, Domini Liberti Epiſcopi Gericenſis de Crucibus*, Inſcriptusqve primæ paginæ ejus Emſeri verſus:

Sanguinolenta Crucis ſi quem miracula terrent,
Defleat erratos ſupplice corde dies.
Mollis arundo Notis, ac nervo flectitur arcus,
Igne Chalyps, adamas ſanguine, corde DEus.

Sed lapſurarum iſto ſeculo ſuperſtitionum in externis ejusmodi figuris diutisſimè defixarum præſagia fuiſſe nos fortean æqve bene opinabimur. De cauſis autem vix qvicqvam dici poterit. Et ſcriptor nobiſcum eſt frugi ut videtur Catholicus, neqve etiam alium tempora iſta permittebant: Is poſtqvam naturaliter hæc non eveniſſe docere conatus eſt, & Tertiam

qvam ſibi proponit viam, ut miniſterio Angelorum ſigna hæc conformata dicantur, nonniſi tribus verbis attingit ſecundæ, qvam vocat, viæ ſe imprimis impendit, operatione Magica maleficorum ea peracta fuiſſe. Qværenti *quid cauſæ posſit eſſe divinæ permisſionis, quod hujusmodi fieri permittat cum armis noſtræ Redemptionis.* Reſpondet, *quod forte ſuperfluus cultus non dico ſuperſtitioſus talium armorum, quæ à multis coluntur, ut res quædam aliquid numinis in ſe habentes.* *Et ergo*, inqvit porrò, *probibendi ſunt illi ſuperflui curſus ad loca deſerta & alia, & ad imagines in illis locis erectas, quorum id quod ſit quanquam ſub ſpecie pietatis, eſt hominibus occaſio damnabilis ruinæ. Fingunt enim ibidem fieri miracula &c.* Qværenti porro, qvid facere debeat homo, in cujus veſtibus & camiſiis & peplis cruces hujusmodi & ſigna inventæ fuerint? Reſp. Salvo tamen melius ſentientium judicio, *quod debet uti illis ut prius, inducere, immundas lavare, & nullam reverentiam exhibere illi materiæ, ſed toto Cordis affectu Dominum DEum implorare, ut monſtra hæc in bonum convertantur & Dominum Deum pro peccatoribus crucifixum adorare.* Ac ne deſint exempla, porrò ratiocinatur: *Qvod autem Cruces iſtæ fieri poſſunt operatione dæmonum & maleficorum ſeu dæmonicolarum patet ex eo, quod indubitata fide geſtum eſt tempore, quo Burgundionum Dux Carolus in modum Coronæ gravi obſidione Nusſiam oppidum in littore Rheni ſitum cinxit. Apparuerunt enim in Comitatu Zutphanienſi in villa quadam Varden dicta, ad multa tempora in cortinis albis cujusdam puerperæ cruces innumerabiles S. Andreæ, & factus fuit maximus concurſus Geirenſium & Clevenſium & omnium hominum vicinorum locorum ad ſpectaculum, & putantes cruces illas aliquid præſagire multa attulerunt donaria, nec domus puerperæ unquam vacua erat hominibus, ita ut Magiſtri Fabricæ & Dominus loci altercabantur ſuper obventionibus, qvis eas eſſet recepturus. Non multo poſt tempore Cruces S. Andreæ in veras cruces Chriſti quoad figuram mutabantur, propter quod totus populus tunc illius terræ (per alienos capto ſuo natali Domino) oppresſius divinabatur, quod Imperator qui Signifer eſt Crucis Chriſti, Ducem Burgundionum Carolum, cujus crux S. Andreæ in armis inſigne fuit, eſſet devicturus, ſicut bellantibus Lotharingis & Schwvitzeris non multo tempore poſt occubuit. Succesſu vero temporis omnes Cruces evanuerunt*

tam

tam Christi quam S. Andreæ, ut nec earum remaneret vestigium. Transacto autem anno aut circiter, inventus fuit & deprehensus quidam dæmonicula sive maleficus in terra Gelrensi prope Hatten, qui totam fraudem diabolicam detexit & confessus fuit, quod ipse omnes illas cruces artificio sui magistri dæmonis effinxisset & pœnitentiam singularem & publicam pro peccato illo & aliis egit. Ex quo patet clare, quod Cruces hujusmodi possint arte diabolica fieri. Qvibus unicum hoc addimus, ipsi naturæ nec Crucem, nec instrumenta Passionis Dominicæ repugnare, Testibus ipsis Crucis Scriptoribus Catholicis; Sic enim Musæ Fructum omni parte, qva inciditur, Crucis signum referre docet *Gretserus Hist. S. Cruc. P. IV.* Eandem in avibus volantibus & hominibus natantibus alibive observari ex Patribus idem exponit *T. I. de Cruc. L. I. c. LII.* Passionis instrumenta v. a. *Granadilla s. Flore Passionali* repræsentari prolixe recenset singulari Tractatu modo cit. *Partis IV. Hist. S. Cruc.* Sed mirum est heluonem hunc variarum Lectionum non annotasse Pira Regiæ Abyssinorum Imperatoris mensæ apponi solita, qvæ itidem Crucem intus referunt. V. *Histor. nostr. Civ. P. II. §. VII. Kircherus* etiam inter Lapides Lineatos suos aliqvos Figura Crucis notatos exhibet *M. S. L. IIX. S. 1. f. 23.* Cui è Lapidibus Lineatis nostris Francofurtensibus, qvorum itidem insignis proventus, addimus Lapidem à nobis asservatum non tantum Crucis & Immissæ & Decussatæ seu S. Andreanæ figuris aliqvot, sed plerisq; figuris Mathematicis ex Lineis Rectis constantibus simul conspicuum. Et cur non Gretserus Instrumenta Passionis Dominicæ etiam ex semine *Lupinorum fl. Luteo* omnium figurarum feracissimo cum Sodalitio suo legit? Cur non Coronam Spineam ex semine *Ranunculi Arvensis*, & ex aliis alia? Sed hæc iis relicta sunto, qvibus volupe est Naturam extra terminos suos collocare: Nos ad alia qvæ hujus loci sunt progredimur.

CAPUT. III.

DE PRODIGIIS SANGVINIS ANIMATIS IN TERRA.

I. Sanguis S. Johannis. II. Causa Liquoris spumei in Plantis. III. Plantarum Sangvineas Guttas referentium series. IV. Sudor Sangui-

Sanguineus. V. De Sudore Sanguineo Christi. VI. Lacrimæ Sanguineæ; Prophetiæ Christinæ Poniatoviæ. VII. De Sepulchro Mosis ante XX. Annos in spelunca invento: Cur spelunca Odore Violaceo fuerit? IIX. Fabula Puellæ Neomarchicæ præterito Anno Sangvine aspersæ.

I.

SEqvitur S. JOHANNIS SANGVIS, famosum illud curarum ac superstitionum vulgi objectum, qvi si non Prodigiis aut naturæ Miraculis accenseri potest, certè inter rariora ejus reponi meretur. Sustinet eum *Polygonum Selinoides s. Saxifragæ Anglicana Lobelii, & Polygonum Cocciferum* à Camerario & *C. Bauhino* dici meruit, à granis Coccineis, ad radices ejus circa Solstitium æstivum inveniri solitis, qvæ vulgus *Sangvinem S. Johannis* vocare solet atqve opinatur solo meridiano tempore Festi S. Johannis ea reperiri in ususqve debitos servanda esse. Et de granis qvidem dubium nullum est, veluti nec de colore purpureo, qvo turgent, & Coccinillæ valde similia sunt si exsiccentur. Meminitq; ejus Serenissimi Electoris nostri Archiater Vir Experientissimus Dn. D. Eltzholtz *L. VI. c.* 4. Vom Garten-Bau: Coccinellen Weg-Graß: Dieses wächset an unsern Sandhügeln fast überall: an seinen Wurtzeln aber hängen im Sommer umb den längsten Tag rohte Beerlein/ deren inwendiger Safft zierlich färbet. Wenn man diese Beer an einem trockenen Ort verwahret/ werden sie hart, bekommen Runtzeln/ und gleichen alsdenn sehr der rechten Coccinelle auff den Apotheken. Der Pöbel nennet es S. Johannis Blut/ und bildet ihm fälschlich ein/ es werden diese rohte Kernlein im gantzen Jahr nicht gefunden/ als nur am Johannes Tage/ nemlich den XXIV. Junii in der Mitags Stunde: so bald dieselbe vorbey/ sol es verschwinden: welches doch die Erfahrung anders lehret/ sintemahl es denselben gantzen Monat durch anzutreffen ist. Post hunc Dn. *Bartholom. Zorn. in Addit. ad Herbar. B. Dn. Pancovii p.* 18. Wächset gemeiniglich auff sandigten Feldern/ und werden an dessen Wurtzeln circa Solstitium æstivum aut Festum S. Johannis gefunden rohte Kërnlein/ welche das gemeine Volk S. Johannis Blut nennet/ und auff dem einfältigen Wahn/ ungeachtet ein anders und gewissers die Erfahrung daß solche sowol vor als nach dieser Zeit gefunden werden/ lehret/ vest bestehet/ daß diese Kör-

lein

nelein sonst im gantzen Jahr nicht/als nur am Johannis Tage und zwar in der Mittagsstunde zufinden/ auch so bald solche vorbey/ solten sie verschwinden. Nehmen derowegen solcher Samlungsstunde wol war/ halten die eingesamleten Kö nlein hoch/und hangen sie entweder an/ oder zerqvetschen und beschmieren damit die Kleider/daß sie das gantze Jahr über/ ihrer abergläubischen Meynung nach/ mögen von Kranckheiten und andern Unglücksfällen befreyet leben. Sed de Causa horum granulorum nec dum cogitatum fuit. Cl. Dn Zornius eam tetigit, esse ovula f. conceptus Vermiculorum, in centro ramulorum hujus polygoni veluti nidulo securitatis causa subsistentium. Denn nach dem ich sie in ein gläsern Geschirr verwahrete und an die Sonne stellete/ begunten aus allen den jenigen so nach und nach weißlecht wurden (hingegen aber so roht verblieben/ die schrumpfelten in einander verdorreten) herfür zukommen runtzlichte und an Farben blutroht oder Purpurbraune Würmlein/welche sich heraus nagten und ein weisses Schälichen hinterliessen. Waren an Gestalt breitlicht/ unten und bey den Köpflein etwas rauch anzusehen/hatten etliche Füßlein und zwey Hörnlein. Wenn man sie ein wenig anrühret/ kröchen sie gleich einer Made in einander/ krochen auch in dem Glase/ sonderlich wenn sie den warmen Sonnenschein empfunden/ hin und wieder/ wolten gern heraus und davon/ lebten etliche Tage ohne Nahrung/ und weil man ihnen keine Angenehme kunte verschaffen/ verzehreten sie sich gleichfals selbsten und sturben. Idem ante eum suspicatus fuit *D. Simon Pauli Qvadripart. Botan.Cl. II. p. 173.* Ubi cum exposuisset, Grana hæc etiam ad Pilosellæ Radices inveniri, se hariolari profitetur *Ova alicujus sibi adhuc ignoti Insecti esse, ideo quia Scapo Pennæ Anserinæ aut Cygneæ indita mox Epistomio chartaceo obturando ac dehinc aprications commissa cernamus sponte sua cis pauculos dies & spacio qvasi sex vel septem dierum excludi, ac prodire ex iis Insectum non diu superstes, quod etiam Alatum avolasse nonnemo observaverit.* Nos Vermiculos hos dum beneficio Microscopii consideravimus, deprehendimus sex pedibus instructos fuisse, singulosqve eorum ungve nigricante donatos, reliquum corpus purpureo colore est pilisqve raris passim instructum. Cornua gerunt annulata, in qvibus id maxime notabile,qvod extendant ea & contrahant pro lubitu, contracta etiam prorsus occultant, si tan-

gantur non aliter, qvam cum testudinum corniculis se res habet; Et veluti hæc præsumunt totidem oculos esse, ita de Coccinillis nostris etiam id ipsum conjicimus, inprimis cum non alia indicia oculorum præbeant. Vermiculi ergo hoc veluti monumento more aliorum insectorum, qvorum pleraqve bis generari amant, ad perfectiorem generationem se disponere conantur, neqve liqvor iste purpureus aliud est, quam materies perficiendo novantiqvo fœtui; Sic omnes Papiliones, Phalænæ, Muscæ, Scarabæi, figuris variis ante includuntur, quam perfectiorem istam formam accipiunt, ac medio tempore ex liqvore simul incluso nutrimentum capiunt. Vid. plur. *Goedartium in Metamorphosi Naturæ.* Ipsaqve Formicarum vulgo dicta ova eodem modo se habent, ut nihil aliud sint, quam pelliculæ ovales primo vermiculum, è qvo nascuntur formicæ, tegentes, posteaqve eundem conservantes, donec transformetur in formicam & sibi ipsi consulere possit, qvæ pluribns observationibus singnlaribus Egregius Vir D. *Edmundus King* confirmavit eademqve Ephemeridibus Virtuosorum Angliæ inseri passus fuit *M. Martio An. MDCLXVI. Observ. II.*

II.

Nimirum Insectorum teneritudini Creator ita consultum voluit, ut liqvoribus alerentur, donec ad justam maturitatem pervenirent, testaturus in minimis qvoqve divinam potentiam suam; Id in exemplo non prorsus simili quidem, non indigno tamen, quod hic allegetur, elucet, Salivæ plantis verno & æstivo tempore adhærentis, qvam vulgo Salivam Cuculi, Kuckuck-Speichel/ Angli *Cockow Spettle* appellant. Et Illustris Verulamius quidem in herbis calidis eam tantum reperiri, ut Lavendula, Absinthio Pontico tenuifolio s. Romano, Salvia, Hyssopo &c. opinatus fuit; Causamqve inqvirere jubet & inter Arcana Na-„ turæ reponit: Sunt qvi Salviam putantes, e Cœlo pluere crediderunt, „ eodem modo, quo Manna & Ros mellis. Alii è terra immediate ex-„ halare, alii deniqve ex planta ipsa exsudare. Sed omnis generis plantis lqvorem hunc adhærere facile comperient, qvæ æstivo tempore in pratis aut arvis Rem Herbariam tractant. Salviam vero teneræ adhuc Locustæ esse, qvam evomit, tum ut contra Solis ardorem, tum contra injurias avicularum sibi consulat; primo detexit Sagacissimus Autor *Catalogi Plantarum Cantabrigensium*, in Notis ad *Papaver Spumeum.*

um Nobis compertum est, eam evomi ex ore Insecti, animalculi exigui, in medio hoc sputo semper latitantis. Quippe, si totam ei asperginem spumeam manu vel linteo detergas, videbis ipse propriis oculis, eandem brevi iterum copiosè emissam ex ore animalculi, quod se totum denuò eâ involvet & occultabit, ut tutum inibi lateat ab injuriis ranarum, avicularum, aliorumq; prædatorum, dum adhuc tenerum est, nec potest sibi saltu aut fuga cavere. Est autem plerumq; hoc Insectum, figura fere pediculi, nisi quod brevius sit pro corporis mole, colore luteo-viridi, oculis magnis & protubernantibus. Pedes posteriores ad saltum comformati sunt; Unde facile assentimur Viris qvibusdam Doctis & Ingeniosis, qui proprio Experimento illud in Locustam, Anglicæ Grass-Hopper *dictam, evadere nobis asseverarunt.* Nos, ut verum fateamur, nec unde ortum habeat, nec in quod tandem exeat, ipsi hactenus exploravimus. Sed Locustam juniorem esse, crebræ de Animalculo Observationes facile docent, Microscopia etiam, in ipsis tenerioribus artus, tanqvem formam corporis Locustæ detegunt. Addendum vero ducimus, Observationes Doctissimi Autoris eò felicius succedere, quo tenerius est animalculum, adultiora minus Salviæ ejicere amant, eoqve Experimento sumendo haut perinde apta sunt. Crebro etiam observavimus, Ipsa in eadem Herba Salivæ suæ exempta, denuo se Salivæ involvere; Sed in alius generis herbam translata, id non adeo præstitisse. Atqve hinc etiam causa pendet, cur Cœlo sereno ab arboribus ac imprimis Salicibus guttæ decidere notentur, qvæ nihil aliud sunt, qvam aqueæ guttæ, è spumeo isto liqvore Locustellarum natæ.

III.

Inter PLANTAS Sangvine aspersas s. maculis Sangvineis interstinctas, nota est Lactuca Maculata, Herba, Lactucarum more, vi refrigerandi eximia instructa, Sangvini sistendo etiam, si non ob solam vim refrigerandi, certè ob signaturam usui futura. Hieracium maculatum nostras s. *Pannonicum Clusii*, etiam primum egregii usus sui indicium per signaturam similem fecit; Maculis Sangvineis enim itidem interstinctum est, & in Affectibus ejecti Sangvinis Medicinam nobilem eo

 fieri

fieri Experientia conſtitit. Talis Aqva ad Sputum Sangvinis. R. *Aq. Fol. Querc. deſtill. Hierac. macul. ana Unc. iiij.* Et Pulvis ad Sputum Sangvinis. *Pulv. Succin. Alb. præpar. Gumm. Arab. Tragacanth. Bol. Armen. Corall. Rubr. præpar. Fol. Hyperic. Tusſilag. Hierac. Macul. ana Drachm. ʃs. miſta cum Sacch. Canar. opt.*

IV.

SUDORIS SANGVINEI exemplum inter Prodigia relatum fuit, cum tempore Belli Germanici miles *Sudore Sangvineo* madidus crebro conſpiceretur. *Copioſum in vicina Sanguinem miles ſudaverat, eruentæ expugnationis indicium,* inqvit de fatis Magdeburgi *Waſſenberg. L. II. p. 174.* Sed huic rei jam olim Ariſtoteles cauſas naturales aſſignavit, ratus in Sangvinis tenuitate & raritate cutis cauſam ſitam eſſe; *Jam nonnullis accidit, ut cruentum quoddam excrementum ſvaderent propter vitiatum corporis habitum, ſcilicet cum corpus laxum fluxumque eſſet, ſanguisq; præ cruditate humeſceret ob imbecillitatem caloris, qui exiguis venulis incluſum concoquere non poſſet. De Part. Anim. L. III. c. V.* Cui tertiam adjicit Marcell. Donat, *de Med. Hiſt. Mir. L. 1. c. 2.* Vitium facultatum nutritioni inſervientium: Si nimirum expultrix validius quam par ſit expellat, retentrix debiliter retineat. Confer Sennert. *Inſtit. Med. L. II. p. III. ſect. I. c. XI.* Ubi exempla, & Ej. *L. II. p. III. ſect. II. c. VI.* Ubi cauſas prorſus easdem refert. Joh. Bapt. Silvaric. *Contr. Med. V. p. 59. & ſeqq.* Similiter *Guilh. Rondelet L. de dignoſc. Morb. c. II.* Et is exemplum Studioſi allegat qui An. MDXLVII. ab omnibus corporis partibus Sangvinem ſeroſum ſudaverit, *Ob venarum raritatem & oſculorum illarum laxitatem & Sangvinis tenuitatem.* Sed Tertiam à ſe allegatam rationem in eo quoque locum habuiſſe opinatur Donatus: Et non disſimilia exempla Fœminæ Mantuanæ, Viri item robuſti hoc fine porro allegat. Rurſus exemplum à ſe obſervatum iisdem cauſis ſubjicit *Georg Sporlinus.* Medicus Baſilienſis in Adoleſcente XII. annorum. cui A. MDCXXVI. Medicinam attulerit. Is cum fratre lanione ad empta armenta abigendum rus abierat, indeqve ab exercitio & vino albo, quod biberat, Sangvis febrili calore incenſus, & ad extrema corporis commotus fuerat, & qvia ſumme tenuis, fluxilis & ſeroſus, præterea à natura irritata compulſus exitum per extrema venarum ora molitus fuerat, hinc per nudam gingivarum Carnem penetrans

trans, primum cruenta exſpuitione rejectus eſt, mox à poris in totius corporis ambitu exudans, denſis & infinitis ſtillis induſium maculavit. Nihilominus per pedes domum rediit, ſed mox decubuit ſudore hoc pariter ac fera narium hæmorrhagia ipſi periculum vitæ minante: Et Medicus octava morbi die advocatus adhuc Lodices & culcitras infinitis Sanguineis maculis pictas & cutim patientis univerſam petechiis conſperſam latiuſculis, in medio nigrum Sangvinis concreti pori cujusqve oſculum obturantis punctum habentibus, conſpexit: Ac ſedavit quidem hunc affectum Spörlinus puerumqve beneficio Nitri imprimis ſanitati reddidit, ſed poſtqvam convaluit, totius corporis pruritus, citra tamen ſcabiem, diu ipſum moleſtavit, qui tandem eum etiam deſeruit. Qvæ ſi ita fuêre, rationibus ſupra allegatis & Qvarta accedit, Sangvinis Acrimonia, qvemadmodum hæc ipſa etiam hæmorrhagiæ narium ſæpe cauſa eſt. Faciuntqve huc ipſius Spörlini verba, qvæ poſtremum ſubjicit: *Sanguine ſupra modum ſeroſo & diluto præditum fuiſſe, probant ſufficienter ſudor Sanguinis diluti & aquoſi coloris, qui apparebat in Sanguine è naribus profluente dilutè rubens & maxima copia ipſius, qui ſi ſincerus fuiſſet, ſine dubio æger defeciſſet: Tandem ſeroſi & ſalſi ichoris pruritus ſubſeqvens ſignum indubitatum eſt.* Epiſtola extat apud *Fabric. Hild. Obſerv. Cent. VI. obſerv. 76.*

V.

Sed Longe dignior attentione noſtra eſt Sanctisſimus Sudor, per qvem rivulus veluti Sangvinis paſſioni proximus Servator noſter in Horto Gethſemane emiſiſſe legitur, mox maria cruoris fuſurus. Recenſet eum S. Lucas cap. XXII. 44. *Et Sudor Ejus erat quaſi guttæ Sauguinis deſcendentes in Terram.* Et propoſiti noſtri ratio exigit, ut eum huc referamus, non ignari tamen à Viris Doctis jam abunde huic materiæ ſatis factum eſſe, inprimis à Doctiſſ. *Cruſio* ſingulari Tr. de Sudore Sangvineo Chriſti, & Incomperabili *Voetio Vol. II. Diſp. Theol. Append. ad Diſſ. de Agonia & Deſertione Chriſti,* Qvorum veſtigiis nunc inſiſtere qvæſo liceat. Summa rerum ex qvinqve hiſce dependet: I. *An Scriptura dicat Chriſtum ſudaſſe Sangvinem? Hilarius* enim *L. X. de Trin. & Hieron. L. II. c. Pelagianos,* & poſt eos *Eraſmus in Nott. ad h. l.* obſervant in multis Codici-

bus non inveniri tum illa de Angelo confortante, tum hæc de Sudore Sangvineo: Sed sine dubio erasa vel omissa fuere ab illis, qvi præpostero studio gloriæ Christi consulere & infirmitatis argumenta ab eo removere voluerunt. *Calixt. Concord. Evangel. L. VI, c. VIII.* & *Nicon de pessima Armeniorum Relig.* Armeniis id ideo imputat: *Abstulisse vocem illam quæ dicit:* Et factus est Sudor Ejus, sicut guttæ Sangvinis in Terram descendentes: *Hoc esse imbecillitatis existimantes, non Divinæ Majestatis.* Voetius tamen protestatur, se non facile id de iis crediturum sine ulteriori probatione. Et Bartholinus *L. de Cruce Hypomn. IV.* putat à Pelagianis erasa fuisse, utpote vero Christi corpori faventia. Sed Pelagiani veritatem Corporis Christi nunqvam negarunt. Rem ipsam qvod attinet, ea communi Patrum tum Græcorum, tum Latinorum consensu roborata esse videtur, quos longa serie recenset *Joh. Coccius Thes. Cathol. L. VI. f. 697. & seqq.* & ex parte *Crusius de Sud. S. C. c. II.* Q. II. *An Scriptura eo sensu intelligenda sit, quo communiter hæc verba exponimus?* „ Theophylactus proverbiali figura dicta esse existimat: Sudavit cum „ tanta anxietate, ita ut plane juxta Parœmiam Sangvinis guttæ „ ex eo ceciderint, Parœmia enim est in his, qvi valde laborant, „ ita ut Sangvinem sudent; Sicut & in his, qvi amare flent, & Sanguinem flere dicuntur. *Euthymius* deinde ad Cap. XXVI. Matthæi: *Et quod factus est Sudor ejus sicut grumi Sanguinis decurrentes in terram, Grumi Sanguinis h. e. crassissimæ Guttæ significant non quod Sanguinem sudaverit, sed quod crassos deduxerit Sudores.* Qvorum sententia in lucem revocata à *Grotio Nott. in Luc XXII.* Sed Particula *Qvasi* non tantum est assimilativa, verum etiam Expressiva Veri. Sic ipse Grotius interpretatur dictum *Joh. I. 14. Vidimus gloriam ejus* qvasi Unigeniti *à Patre.* Similes loqvendi modi sunt *Luc. XXIV. 11. Visi sunt Sermones in Oculis eorum* quasi Deliramenta *Hos. V. 10 Principes Judæ sunt* qvasi moventes *Terminum* &c. vid. *Voet. cit l.* Confer. *Corder. Annott. in Caten. Patr. in Luc. XXII. f. 588.* Ex Jure Civili hujusmodi loqvendi formulas annotavit *Crusius c. III. §. IV.* qvi pluribus videndus. Qv. III. *Utrum Sangvis fuerit, an Sangvinei Coloris excrementum Rubeum?* R. Thom. Minadous Rhodiginus *L. I. Disp. Medic. Disp. 1. de Sudore Sangvin.* *Pie quin etiam*

etiam hac in parte multi respondent &c. Ex purissima Christi Carne verum & realem Sanguinem emanasse, quod pariter de Sanguine & Aqua, quæ duo simul ex Christi defuncto Corpore profluxerunt, nempe quod verus fuerit Sanguis & vera aqua testantur. Quare D. Augu*stinus adnotabat, quod quemadmodum Sangvineus Domini Sudor ante mortem ejus Carnis veritatem ostendit, sic idem post mortem effusus victurum Christi Corpus & nobis propterea vitam morte daturum significavit. Hanc forte ob causam Paulus Palatius Sanguinem scribebat in Corde & venis consistentem veluti liquatum per poros & venas interno Charitatis ardore laxatas effluxisse, quod nobis quoque pacto innuere voluisse Prophetam docet, dum dixit: Factum est Cor tanquam Cera liqvescens; Cor etenim Sangvinis Principium esse testantur Peripatetici. Sed & huic sententiæ, quod sc. verus fuerit Sangis, non fantasticus, non excrementitiis subscribunt Calistus, Stephanus Paris & alii Sacrosancti Doctores.* Q. IV. *An naturalis fuerit?* Resp. Affirmant pleriqve, qvorum Syllabum vid. *ap. Voet. c. I p. 176.* Omniumqve verba unius B. Melanchthonis hisce includimus *Consil. p. I. p. 579. Oppressit pientissimum pectus metus mortis & horribilis conspectus Judicii atq; Iræ Paternæ adversus peccatum &c. Sed restitit ab altera parte Obedientia erga cœlestem Patrem atq; illud inexhaustum & ineffabile Incendium Amoris erga genus humanum &c.* Et paulo post: *In hac igitur tam vehementi & atroci lucta, in qua describenda etiam Scriptura certissimis verbis & ingentem dolorem significantibus usa est, hæc tanta Commotio omniumque humorum in corpore resolutio accidisse videtur, ut Sudor ac deniq; Sanguis eruperit: Neque id omnino contra naturam illi animo ac corpori accidisse videri debet, etsi nullus alius animus, nullum corpus perferre ista ac sustinere potuisset.* Et postea: *Moveor autem vocabulo* θρόμβος, *ut existimem Sudorem resolutionem fuisse totius Corporis languefacti & jam hiantis & dissipantis Sanguinem & omnes vires. Nobis facilius est de doloribus usitatis & levioribus loqui, in quibus ipsis tamen quam multa accidunt contraria? Sed sciamus Christum non cæteros homines tantum formidare mortem, ut formidat natura: Sed sentit aliud majus onus, scil. iram Dei adversus mea, tua & omnium hominum peccata.* His addenda Q. V. *Quæ causa fuerit hujus Sudoris?* Qvam

brevi-

breviter cum doctisſ. *Voetio* opinamur fuiſſe non unius affectus vehementem motum, ſed plurium & qvidem oppoſitorum complicationem, unde agitatio & reciprocatio Spirituum, qua tandem Sangvineus Sudor, apertus venarum oſculis, extruſus ſit. Sed Supernaturalem fuiſſe Sudorem alii ſentiunt Platerus, Minadous, inprimis Doctisſ. *Poſnerus* ſingulari *Diſſert.* de hac materia edita. Quorum rationes ſunt. I. *Servatoris Corpus fuiſſe optimi temperamenti & Sanguinis, in Corpore ejusmodi autem ne ſimplicem quidem Sudorem haberi.* Sudorem enim eſſe *τὸ κακῶς προσῳκοδομημένον ἐν τῇ σαρκί*, aliquid vitioſe adjunctum carni, quod pluribus ſententiis ex Ariſtotele comprobatum. Reſp. Hinc tantum ſequi Sudorem non pertinere ad ſubſtantiam, aut partes explere ſubſtantialiores Corporis Perfecti: Ideo vero id prorſus Sudore deſtitui *ἀνακόλουθον* eſt: Corpus ſanisſimum ac perfectisſimum in terris hiſce etiam cibo ac potu eget, & conſeqventer Beneficio Fermentationis partes uſui ſuo ineptas excernit, nec tamen ideo deſinit Sanisſimum eſſe. *Inſt. Tantundem Cibi à Corpore tali tantum aſſumptum iri, qvantum ejus conſervatio opus habeat.* Reſp. Concedi, eoqve à futuris per ingurgitationem vitiis immune fore, ſed ut ideo excrementis obnoxium non ſit, id per ipſum non ſtare, nullus enim cibus eſt, quin per fermentationem feces ponant. II. *Potentiæ Divinæ non repugnare facere, ut inter medios etiam dolores atque affectus ſalvum ac ſanum Corpus permaneat.* Reſp. Corpus à doloribus intactum ſervare Potentiæ Divinæ non repugnat; Nec repugnat ei, Corpus poſt exquiſitisſimos quosqve dolores eidem ſanitati vel meliori etiam reſtituere, quam antea habuerat. Sed Corpus ſanum ac ſalvum eſſe, idemq; doloribus ac affectibus laborare Contradictionem eoqve altera ſui parte defectum involvit, ac proinde Divinæ Potentiæ ſubjici nulla ratione meretur. Chriſtum vero revera fuisſe doloribus obnoxium Sacer Textus nos dubitare non ſinit: *Morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores ipſos noſtros bajulavit &c. Jeſ. LIII.* Alia cum paginæ hæ non capiant, in conflictu ſolvenda nobis reſervamus.

VI.

Ex iisdem cauſis pendent LACRIMÆ SANGINEÆ, quæ ſubinde fundi viſæ ſunt. Talesq; Infans aliquis in Oppido Inferioris Luſatiæ

tiæ Süberose haut procul hinc sito totis IIX. hebdomatibus fudit A. MDCXXXI. Quem restituit Exper. Vir Weidnerus Medicinæ Doctor ejusdemqve apud Nos Professor. Eandem se in Virgine XVI. Annorum observasse docet *Remb.Dodoneus* Observ. Medic. c.XV. & ex eo *Donat.l.c.* Item *Sennert cit.c. XI.* Sed causam ob aliam: Cum enim menses ei non succederent, natura per oculos superfluentem sangvinem expellere conata fuit, Sangvineis guttis lacrimarum instar frequenter ex oculis profluentibus. Easdem experta fuit allegato. A. MDCXXI. Gubenæ primum, deinde Peizenæ Fortalitio Brandenburgico Puella XVIII. Annorum Secretarii Friedbergensium è Neomarchia Filia, quæ cum Prodigiosa alia & in iis Vaticinia etiam præ se ferret miraculis istorum temporum annumerata, & tantum non ἐγγαστρίμυθος habita fuit, causa interim tota in obstructione mensium recumbente, quæ veluti sangvinem ad oculos propulit, ita perversam Phantasiam indeque tot conceptus absurdos formavit. Rem gestam manu Viri Docti & Rerum Marchicarum Studiosi ita consignatam reperimus: *Est quædam juvencula 18. Annorum cujus Pater fuit Scriba Civitatis* Friedberg *in Neomarchia: Quæ Gubenæ cum esset, nuper inde facessere jussa est ex decreto Senatus, eò quod nova quædam & prodigiosa vaticinari videretur, quæ ad animos hominum commovendos atq; ad peregrina ac insolita studia inflammandos facere possent. Concessit igitur ipsa in Castrum Peizense, ubi suscepta fuit ab Johanne Luca Pastore ejus loci, apud quem mira multa agit prædicitq;. Oculi ejus aliquoties Sangvine ebullierunt, quasi cruorem manarent, sulcis Sangvineis per hirquos genasq; defluendo ductis quos absterserunt, qui adstiterunt. De his interrogata respondit, se deflere malorum atrocitatem, quæ subsecutura essent. Signum sese habere professa capillos candidos manu prætulit, quos Angeli sui esse prædicavit. Mirum enim & supra modum obstupescendum, quod sese dicit prægnantem esse, parituramq; Angelum, Cujus nativitas sit in Festum Michaelis proximum incisura, tuncq; Solem Lunamq; ipso fulsuros meridie. Fore autem huncsuum Filium effectorem eorum, quæ in cap. XX. Apocalypseos memorata habentur. Intumescit ei supra modum uterus nonnunquam, omnibus, qui id vident, stupentibus. Aliquando cum Psalmi canerentur, so-*

nitus tanquam fistulæ auditus est Harmoniam Psalmodicam ad amussim exprimentis, & quidem ita clarè, ut audiretur ab adstantibus distinctissime. Es hat gar eigentlich gepfiffen. *De Francofurto nostro prædixlt, adeo desolatum iri, ut ne lapis quidem supra lapidem relinquendus sit: Post ea multo splendidius extructum atque ampliatum iri, sedemq; futuram beatorum Martyrum, qui cum CHRISTO sint regnaturi.* Sed hæc omnia quid aliud, quam turbatæ Phantasiæ iudicia sunt? Capillos Angeli ipsam tenuisse, fœtum Angelicum enixuram, nil nisi suavis insania erat & multa mala se præsentire fassa est, quod disertè causæ supra allegatæ transcribit *Ludov. Mercat. L. 2. de Mulier. uff. cap. 2.* ubi de Virginum & Viduarum Melancholia. Et in talem ut incideret, status illorum temporum facilè admittebat, qui veluti malorum feracissimus erat, ita Vates futurorum prænuncios multos tulit. Humanum ingenium dum adversis urgetur, Spes quascunque colligere iisque in futura se erigere amat: Ac in partes huc fortè & Christinæ Poniatoviæ Celebris per Poloniam & Bohemiam Vatis exemplum veniet, Causa si non eadem, certe non dissimili nisum. Cur enim omnes ferè visiones ejus osculo & amplexu visi amici, quem tamen cœlestem dicebat, terminabantur? Cur cum matrimonium iniisset, Visiones illæ cessarunt? Enarrat utiq; sollicite has circumstantias, qui Historiam hujus aliorumque Vatum suorum æque ac vaticinia ipsa *Titulo Lucis in tenebris* edidit, *Joh. Amos Commenius*: Quibus utinam abstinuisset! Effecit sane, ut decies mille & amplius Familiæ Evangelicæ istorum locorum prope interierint, dum fidem horum talium spectantes manum adversariorum gravissimam inde passæ sunt: Ne alia allegemus, quæ Scriptis istis doctissimi Viri, inprimis *Nicol. Arnoldus Theologus Franekeranus* opposuere.

VII.

Toties nempe incurioso humano generi Natura arcanis suis imposuit, quæ ideo in sublimiores sensus & traximus & trahemus, quamdiu vires ejus minus perspectæ nobis manebunt; Quas non motiones excitabat A. MDCLV. ita crediti *Sepulchri Mosis* inventio, fidem faciente gratissimo odore, quam spelunca non modo spirabat, sed animalibus etiam ipsisque hominibus conciliabat, & veluti indicabat

cabat ſingularis cujusdam arcani præſentiam: Hiſtoriam prolixè exhibet *Hornius in Hiſtoria Eccleſiaſtica.* Similesve ſpeluncæ pasſim per Aſiam citeriorem & Ægyptum harum gnaros attonitos habent, neque dubitant reliquiis Prophetarum ibi olim conditis hanc gratiam transſcribere; Feruntque hodienum dormientes in ejusmodi locis futurorum indiciis in ſomniis inſtrui. Sed cauſam erroris in ſepulchro Moſis jam Rabbi Saadias detexit apud *Horn. cit. loc.* Odoris gratia ſingulare aliquid utique ſpirat; Verum quid obſtat, quo minus ſuſpicemur, totum negotium non incognito lapidi *Iolitho* tranſcribendum eſſe, qui in maxima ſaxa ſæpe excreſcit & gratisſimum odorem violaceum ſpirat, quo nomine etiam in vicina Sileſia ſe probe probeq; commendat, Jamque ſi ſuaviter etiam ſomnient, qui ſpeluncis ejusmodi ſe committunt, non magna admirandi cauſa erit, ſuavisſimo odore iſto, ut omnis odor violaceus ſolet, cerebrum benignè afficiente & modice refrigerante unde ſomni tranquillitas eoq; ſomniorum quoq; compoſitio.

VIII.

Sed revertimur ad Hiſtoriam noſtram, quam vel ideo non ingratam Lectori fuiſſe confidimus, quod præterito Anno LXXV. etiam Marchia noſtra Prodigium ejusmodi ferre viſa ſit. Indigitamus Puellam Neo-Marchicam, cujus Phænomena adulto Martio multorum animos ſuſpenſos tenebant, ipſo quippe turbulento & Sanguinem metuente tempore Prodigii fidem facilitante. Videre erat Puellæ calanticam quaſi ſangvini immerſam; Eodem caput & tergum conſperſum: Secuta die iterum Sangvine ſe aſpergi ſenſit, ſangvinem etiam circa ſe in tellurem decidentem vidit, quem canes poſtmodum avidè linxerunt. Tertiæ diei horis veſpertinis idem ſenſit, ſicq; Paſtori aliisve ejus loci ſe ſpectandam poſtea præbuit. Aliis circumſtantiis aggerendis opus non eſt, & ſpecies facti jam Scriptis publicis pasſim innotuit. Commenti fueramus & hic Sudori Sanguineo locum datum, turbatæ Phantaſiæ vero viſionem Spectrorum tranſcriptum iri. Sed totum negotium quantum fuit, ex fraudibus compoſitum, & Servos molitoris ſimplici Puellæ impoſuiſſe mox reſcivimus. Hi ſangvinem Porci recens mactati Tubulis aliisve hujus generis inſtrumentis indiderant, eoque quotiescunque potuerant, nihil ejusmodi

cogitantem aſperſerant, aſperſam ſimulato terrore in Prodigii opinione confirmaverant, unde ad alios pasſim rumor dimanavit. Plura referri non merentur: Summa totius rei non alia fuit; Nec calamo aut lectione digna foret, niſi ſciremus eam in Scripta virorum non indoctorum quidem, ſed credulorum tranſiiſſe; Quos obſecramus, ut in poſterum ſi non in annos aliquot, in nonum ſaltim menſem, qui omnibus humanis fœtibus proprius eſt, aſſertiones horum talium, maxime autem duriuſculas expoſtulationes ſuas cum minus credulis, premant.

CAPUT IV.
DE
MIRACULIS SANGVINIS.

I. Miraculum Sangvinis in Ægypto; Magos ſimile quid affectaſſe tantum, non edidiſſe. II. Aqua ſanguinea apparens tempore Belli Moabitici. III. An Sanguis Chriſti computruerit? IV. An & cur Sanguis ex Hoſtiis aliquando manaſſe viſus ſit. V. Prodigium Sanguinis in Vino Conſecrato in Boruſſia. VI. Fictitius Sanguis Cracovienſis, Vilsnacenſis, Sverinenſis, Sanguis S. Januarii apud Neapolitanos. VII. Gutta Sanguinea Garnetti.

I.

POſtremo hoc Capite Miracula Sangvinis ex parte recenſebimus, tum vera, tum ea, quæ ab aliis talia eſſe credita fuerunt, vel adhuc creduntur; Et in fronte collocandum Miraculum Sanguinis in Ægypto, dum DEUS Moſi dixit: *Edic Aharoni, accipe Baculum tuum, & extende manum tuam operaturam in aquas Ægyptiorum, in flumina eorum, in rivos eorum, & in ſtagna eorum, deniq; in omnem congregationem aquarum illorum, ut convertantur in ſangvinem: eritq; ſanguis in tota terra Ægyptiorum, etiam in vaſis ligneis & in lapideis. Fecerunt itaq; ſic Moſe & Aharon, ut præceperat Jehova, & ſublato Baculo ſuo Aharon percusſit Aquam, quæ erat in eo rivo ante oculos Pharonis & ante oculos ſervorum ejus:*

Et

Et conversæ sunt omnes aquæ, quæ erant in unoquoq; rivo in Sanguinem: Et Pisciibus, qui erant in unoquoq; rivo, mortuis, ja tuit unusquisq; rivus, adeo ut non potuerint Egyptii bibere aquam ex ullo rivo, erat enim sanguis ille per universam terram Ægyptiorum. Exod. VII. 22. 23. 24. Quæ omnia sua luce radiant. Cur prima hæc Ægypti Plaga fuerit, rationem reddunt ex Theodoreto: *Fluvius ille mutatus in Sanguinem velut conquerebatur de cæde puerorum per Ægyptios commissa.* Et ut dicitur Apoc. 16. v. 6. *Justus es Domine, quia Sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & Sanguinem eis dedisti bibere: Digni enim sunt.* Acerbitatem ejusdem plagæ ex eo demonstrat *Corn. à Lapide* in h. l. quod 1. Omnis aqua Ægyptiorum versa in Sangvinem, totusq; Nilus ab Æthiopia usq; ad mare. 2. Aquis sublatis jumenta & homines siti cruciati. 3. Pisces omnes emortui fuerint. Hinc 4. Computrescente fluvio & piscibus, pestilentia exorta sit, ex qua & ex siti adeo multi enecti jacebant in triviis, ut domestici non sufficerent ad eos sepeliendos ait Philo. 5. Aquæ non tantum colorem, sed & naturam habebant Sangvinis, erantque Verus Sangvis: Unde si quis siti coactus inde gustasset, confestim acri dolore corripiebatur, ait Josephus. Sed id quod subdit Sacer Codex de Magis, nos Christiane adeoque magis piè, de conatu, non vero immutatione explicari posse opinamur; *Fecerunt similiter Magi Ægypti incantationibus suis,* ut communiter interpretantur *v. 25.* Dici posset, indicasse, se incantationibus suis in simili negotio versari posse, ad eum modum, quo freqventissimo ingeniorum imbecillium exemplo, homines, dum conatus alienos vident, se eadem præstituros turpiter confidunt.

O imitatorum servum pecus, ut mihi sæpè
Risum, sæpè jocum vestri movêre tumultus.

Sed hæc in Parenthesi, Magi Ægyptiaci non poterant Aquam in Sanguinem transmutare, quia nullam habebant, cum Aqua totius Ægypti jam Sanguis esset. Cujus Argumenti pondus *Corn. à Lapide*, ideo compluribus respondendi modis id declinare conatur. *Respondere S. Justinum Q. XXIV. ad Orthodoxos, Ægyptios fodisse puteos circa flumen & ex iis hausisse Aquam. II. Theodoretum respondere, hanc Aquam à mari vicino fuisse allatam; Non enim Aquas marinas, sed tantum dulces & potabiles conversas fuisse in sangvinem. III. Alios respondere per Dei Providentiam aliquid Aquæ pro Magis fuisse asservatum, ut Aquæ o-*

mnes, i. pene omnes fuerint conversæ in Sanguinem, exiguum enim tantæ moli nihil demere posse. IV. Hebræos putare solas Aquas Nili versas fuisse in Sanguinem: Ergo ex fontibus eos habuisse Aquas. V. Cajetanum censere, eos habuisse Aquas eas, quæ servatæ fuerint in vasis testaceis & metallicis: Scripturam enim solum dicere, Aquas quæ fuerint in Vasis Ligneis & Lapideis versas esse in Sanguinem. VI. Tostanum & Lyranum putare, hanc Aquam celerrime à Dæmone fuisse aliunde asportatam in Ægyptum. VII S. Augustinum autumare, hanc Aquam fuisse allatam ex Terra Gessen. IIX. Facillimè dici posse, à Mose Aquam fuisse Magis oblatam; Mosi enim & Hebræis fuisse non Sanguinem, sed Aquam solitam, dulcem & potabilem. Sed nihil horum omnium est, quin universalitati miraculi deroget, quam tamen Sacer Codex sollicitè inculcat, & omnem Congregationem Aquarum spectasse docet: Ut proinde non aliud superesse videatur, quam ut Magos affectum, quidem, sed non effectum attulisse operi, dici oporteat. Quod & postea in Ranis producendis ita se habuisse credimus, ut methodum ex incantationibus suis eas producendi eoque conatum ostenderint, rei ipsius vero nihil effectum dederint. Et cum tertia vice pediculi divinitus producerentur, hi se tales producendo non esse, & digitum istum Dei esse, fassi sunt, h. nihil in Receptis suis incantatoriis se habere, quod ad productionem hujusmodi aliquid conferre possit; Et antea quidem Serpentes produxisse dici possent, nisi constaret, istam non veram productionem, sed Fallaciam OPTICAM fuisse, non quidem juxta *Portæ, Weckeri, Agrippæ*, aliorumq; Magiæ Naturalis Scriptorum præteriti Seculi præscriptum, quippe cui nihil sanæ rationis inest, sed ad eum modum disposito aere, quo Vitra & Lux ad eundem effectum disponi possunt, quem Recentiores Optici docent, V. *Kirch. A. M. Luc. & Umbr.* Adeo ut in toto isto Miraculorum apparatu Diabolus, Simia Dei, nihil aliud effecerit, quam quod omnes Simiæ solent, h. rerum nihil, Phantasmatum vero plurimum.

II.

Tempore Belli Israelitici adversus Moabitas legimus Deum prædixisse Regibus, Ipsos nec pluviam nec ventos visuros, & tamen aquâ donatum iri, ad levandam Sitim, & Moabitas eo ipso cladem passuros esse. *II. Reg. III. v. 12, & seq. Fuit autem manè, quum tempus esset offerendi*

ferendi munus, ut ecce aqua veniret à via Edomææ, & impleretur terra illa aquâ. Moabitæ vero omnes audierant aſcendere iſtos Reges ad pugnandum contra ſe; Qvapropter convocati fuerunt ab omni accingente ſe primum cingulo & deinceps, ſtabantq; in termino ſuo. Itaq; ſurgentes manè, Sole jam Orto ſuper aquam illam, cum viderent Moabitæ ex adverſo illam aquam rubentem, ut ſangvinem, *dixerunt*, Sangvis eſt; *Omnino deſolati ſunt ſe Reges iſti, & percuſſerunt alter alterum: Quapropter nunc ad prædam, ô Moabitæ. Quumque perveniſſent ad caſtra Iſraelis, ſurgentes Iſraelitæ percuſſerunt Moabitas &c.* Sed miraculi vis hic in aquarum Copia quærenda eſt; Sangvinea ſpecies luſus naturæ erat, eamq; Moabitæ ad vota ſua quidem, ſed falſo trahebant. Erat enim ex colore Orientis primum & emergentis Solis. Vid. *Jun. ad h.l. Videntes ex Oriente Sole aquam in torrente colore Sanguineam, quod eo tempore maxime aqua radiis icta rutilet, falſo opinati ſunt propter ſitim in ſemetipſos arma vertiſſe, & eorum Sanguinem per torrentem defluere.* Joſeph. Ant. IX. 1. Conferantur, quæ de ſimilibus negotiis diximus *cap. 1. §. VII.*

III.

Ordo nos ducit ad precioſisſimum SANGVINEM SERVATORIS efficacia ſua omnibus miraculis majorem, adeoque nullo volumine ſatis deſcribendum: De eo hic unicam Qvæſtionem ſubjicimus, *An effuſus in Cruce computuerit?* Quod cum *Jacobus Marchianus* Ord. Minorum A. MCCCCLXII. Brixiæ aſſeruiſſet, Inquiſitorem qui Ordinis Prædicatorum erat, adverſarium accepit, unde lis ad totum ordinem utrumque dimanavit, Franciſcanis pro ajenti parte, Dominicanis pro negante certantibus, eademque ſeqventi Anno MCCCCLXIII. coram Pontifice Pio II. & Collegio Cardinalium diſceptata, ſed nulla deciſione finita fuit: Proſtat Hiſtoria ejus ab *El. Ellingero* edita A. MDLXXXIV. Negativa tamen plerisque certior viſa, & ab utriusque Religionis Evangelicis recepta fuit. Unus inter Reformatos *Thomas Eraſtus* Medicus Heidelbergenſis pro Affirmativa ſtetit: Alii quidem *Perkinſus, Urſinus &c.* ejusdem poſtulantur; Sed illi modum conſervati Sacroſancti Sangvinis ſciri poſſe negant, computruiſſe nusquam aſſerunt. Injuriarum certe poſtulari poſſet Cl. Autor *Diſſertt. de Sanguine Chriſti in Crucis ſtipite effuſo* è Gymnaſio Gerano, qui dicam hanc ipſis de novo impegit, niſi

offen-

offendentium erratis non septies, sed septuagies septies ignoscendum esse supremus Charitatis Magister, de cujus Sanguine hic disceptatur, præciperet. Ait *plane inverecundum esse pudoremq; decoxisse Thomam Erastum, qui dixerit: Sanguinem Christi pro peccatis nostris effusum in terra ante Annos 1500. nec amplius esse in rerum natura. Diss. VI.* Sed idem sensere Autores Syngrammatis Suevici, quod B. Lutherus singulari præfatione dignatus fuit. *At Sanguis Christi*, inquiunt, *forte conculcatus est, aut à Terra imbibitus, neq; fieri potest, ut ad nos usq; durarit. Nihilominus si emundari interim voluerimus, per Sanguinem emundari nos oportet. Quid autem nobis Sanguinem afferat, nisi verbum, non videmus.* Et tamen hos inverecundos vocari ipsi procul non videbitur. Ait notum esse, *quo inducti Calvinisequæ alienam ab illo foveant opinionem, nim. ut negent Substantialem Christi Sanguinem in cœna realiter adesse*, ead. *Diss. VII.* Sed si etiam in Corpus redierit, uti nos quidem credimus, non eo magis in S. Cœna præsens erit. Perkinsum jam singulariter vindicavit B. Parens meus *Anatom. Masson. p. III c. IV. p. 70 & seqq ed. nostr.* Idemqve Sangvinem Domini non computruisse seqventibus probat. I. *Petr. I. 18. Non corruptibilibus rebus, argento vel auro redempti fuistis, sed preciosa Sanguine Christi.* Sangvis Christi e. rebus corruptilibus opponitur. II. *Quicunq. Carnem meam ederit & Sanguinem meum biberit, habet vitam æternam.* Et vero si Sangvis Christi computruit, non amplius ille Sangvinem suum dicere potuisset. III. *Act. II. 17. Non sines Sanctum tuum sentire Corruptionem.* Atqui Sangvis inter principalia Corporis recensendus, qui si computruisset, ea parte Dominus corruptionem vidisset. IV. Quod λόγος semel assumsit, id nunquam deposuit Jam vero Carnem & Sangvinem assumsit. E Plura videantur in ipsa *Anatom. Masson. l. cit.*

IV.

Visæ etiam HOSTIÆ Sangvine manasse, nullo quidem ad Sangvinis Christi in S. Cœna Corporalem præsentiam argumento, tali tamen, quo Deus injuriam Christianismo, adeoque Filio suo illatam vindicare voluisse videtur, ad eum modum, quo in medio Gentilismo sæpe injuriam Templis aliisve actibus Idololatricis illatam acerbissime vindicavit, qvoties illa non in errorem, sed universam

rem

rem Sacram directa fuit. Sic Judæi An. MCCCLXX. Bruxellis Hostias transfixisse feruntur, *unde Signa miraculosa tanquam Guttæ SANGVINIS apparuerunt, & videntur exivisse, prout modernis temporibus cunctis intuentibus lucidius potest apparere: Quibus per Judæos sic perpetratis, ipsi videntes hujusmodi Signa miraculosa nimio timore atque tremore prostrati proni corruentes in terram &c.* Vid. *Acta c. Judæos in recensione miraculorum Eucharistiæ Bruxellensis edit. An. MDXXII.* In Marchia nostra An. MDI. simile quid accidisse refert Angelus *Annal. March. L. III. fol. 269. & seqq.* Haben solch Sacrament aus der Büchsen genommen/ und auff einem kleinen Fichtenen Tisch zweyer Spannen breit und anderthalb Ellen lang geleget/ und mit einem Weidemesser zwey Spannen lang mit Birnbäumen Schalen darauff einmal gehauen/ da denn von Stund an so viel Blut heraus geflossen/ daß man einen Finger davon hätte können naß machen: Und hierbey seyn auch gewesen Isaac Jüde der Alte/ Schmol und Nathan/ beyde Jacobs Söhne/ deren ein jeder auch dazumal darein gehauen und gestochen. Ferner hat Jacob Jude bekannt/ daß er die Partickel der Hostien dem Rabbi Schlomon Juden überantwortet hätte/ welcher es eine halbe Ellen lang auff den Tisch geleget/ und zwey Stiche und Hiebe darein gethan hätte mit dem angezeigten Weidemesser/ und sey so viele Bluts/ als in eine Nusschalen gehen mag mildiglich auffm Tisch davon geflossen/ aber die Hostien seyn dennoch unversehrt blieben &c. Qvorum omnium qvicqvid fuerit, Judæi certe per Hostias non specialem Controversiam in re Christiana, sed totum Christianismum petierunt: Hujus injuriæ sensum igitur. Deus manifesto indicio testatus fuit, eodemq; ne Contemptores sui eum impune auferrent, effecit. Conf. *Pol. Parall. Diss. XVII. §. XV.*

V.

Neqve tamen omnes actus hujusmodi promiscue amplexandos ducimus; Pleriqve enim temporibus miraculorum avidis adeoqve superstitiosis gesti perhibentur, qvibus obruta Ingenia humana facile potuerunt imaginem reipsa cassam sibi fingere, neqvid de imposturis Satanæ, qvi & Angelum Lucis mentiri potest, dicamus. Hunc utiqve in locum conjicimus, istud de vino in Calice Eucharistico in Sangvi-

nem mutato: Quid enim si Solis Radii imaginem Sangvinis Phantasiæ Sacri Ministri objecerint? Quid si ipse Calix inauratus colorem intentionalem vino adjecit? Aut si in Calice non satis eluto materies fuerit, qvæ colorem talem produxerit, & mille hujus generis alia. Quotusqvisqve enim certus est nullo casu negligentiam humanam hic errorem gignere posse? Exemplum hujus generis suppeditat *Lycosthenes ad A. MCLXIX. Sacerdotem in Dania, cum allevasset Calicem sumpturus hostiam, vidisse in eo speciem Carnis & Sangvinis, idqve eum indicasset Pontifici, hunc potestatem esse gravem Ecclesiæ imminere tribulationem & Sangvinem Christiani populi fundendum,* de Prodig. fol. 419. Idem hoc seculo in Borussiæ Pago Rudow contigisse fertur, qvod Pastor illius loci literis ad Serenisf. Electorem Brandenburgicum exaratis & jussu, uti qvidem præ se ferunt, Superiorum Typis postea excusis testatus fuit, qvarum exemplari hic subjiciendum duximus:

Durchläuchtigster/ Hochgeborner Churfürst. Gnädigster Herr/ Nachdem Euer Churfl. Durchl. in Gnaden einen schrifftlichen Befehlich an meine wenige Person ergehen lassen/ mich schrifftlichen zu erklären/ wie es eine Gelegenheit mit dem consecrirten Weine im Kelche gehabt/ so nemlich in meiner anbefohlenen Kirchen zu Rudaw/ in der Voigtey Schacken/ und im Cammer-Ampt Grünhoff gelegen/ sich solte begeben und zugetragen haben/ hat es sich folgender Gestalt also begeben:

Als am Sonntage Reminiscere/ diß jetztlauffenden 1615. Jahres/ den 15. Tag Martii neuen Calenders/ neunzehen Personen gewesen/ die da haben communiciren sollen und wollen/ sind erstlich fünff Personen vorher gangen/ die den Kelch empfangen/ ist aber nichts im Kelche gesehen worden/ als der klare consecrirte Wein/ als aber der Sechste hinzu gegangen/ nemlich ein Knabe von 15. Jahren/ wie seine Eltern/ Vater und Mutter vor der Beichte mich berichtet/ mit Namen Lasarus Blömke/ der auch zum erstenmahl zum Tisch des HErrn gangen. Als ich ihme den Kelch gereichet/ und an den Mund gesetzet/ ist aus dem gesegneten Wein/ von unten/ ehe ers genossen/ an der Seiten/ da der Knabe hat trincken sollen/ gleichsam eine Ader/ roht Carmasin Blut herfür kommen/ und sich

in

in den halben Kelch verzogen/ welches ungefehr bey einem Vater Unser lang gewäret, und in solches mit grosser unsäglicher Angst / Schrecken und Zittern angesehen, daß ich auch also bestürtz gewesen/ und von mir selbst nicht gewust/ was ich thun oder lassen solte/ bis sichs endlich immer gemehlich wieder in klaren Wein verwandelt hat. Ehe aber solche Verwandelung gantz und gar geschehen, weil ich mich in der Eyl wegen hefftigen Entsetzens/ wie männiglichen/ so in der Kirchen gewesen, gesehen, nicht hab besinnen können/ ob ich mit der Austheilung des Kelchs solte fortfahren oder nicht/ hab ich demnach eingehalten, und dem Edlen/Ehren Vesten Juncker Caspar von Olsen/ auff Pluttweinen Erbsassen/ der damals in der Kirchen gewesen/ gewincket, und zu verstehen gegeben/Er wolte für den Altar kommen/und ein solches mit ansehen/welches er denn auch gethan/ und wie wol ziemlich langsam/auff mein drittes Wincken allererst kommen/wie es sich fast wieder verwandelt/ und dennoch mit grosser Verwunderung das Blut im Kelche gesehen/ und wieder in seinen Stand gangen. Uber das habe ich zum Uberfluß ein Tüchlein/ so ich hiemit unterthänig offerire, auff dem Altar gehabt/damit man stets nach der Communion den Kelch pfleget auszuwischen/und hab ich mit dem erwehntē Tüchlein ein kleines Zeichen mit grosser Furcht aus dem Kelche genommen/welches roht geblieben/ und noch zu sehen und zu erkennen/ und auch vielen Menschen / nicht allein den Communicanten, sondern auch andern/ so es begehret/alsbald nach der Communion ist gezeiget und gewiesen worden.

Was der barmhertzige GOtt hiemit anzeigen wollen/ ist seiner Allmacht allein bewust/ der wolle uns aus Gnaden bey seinem seligmachenden Wort/und dem rechten Gebrauch der Hochwürdigen Sacrament / und darinn seinen wahren Leib und Blut erhalten / Amen. Welches also E. Churfl. Gn. die ich göttlicher Allmacht und Protection durch mein Gebät befehle/Ich in unterthänigem Gehorsam / zum wahrhafftigen Bericht in Unterthänigkeit nicht verhalten sollen. Datum Rudaw den 24. Martii, An. 1615.

Ejusdem generis in Belgio fuit *Sanguis Woudrichemensis* f. Worcumensis, cujus tamen & memoria & nomen fere interiit, ex qvo oppidum tempore motuum Belgicorum in partes Fœderatorum transiit:

Qvanqvam etiam ante casum atqve exeqvias suas isthic & in vicina multum precio ipsius apud Catholicos decesfit, postqvam sermone omnium ferrentur custodes Sacrarii istius in nova Lintei per Sanguinem ovillum Tinctura deprehensi fuisse. *Sanguis Boxtelensis* ibidem qvoqve famam accepit, cujus occasionem Sacerdoti missificanti transscribunt, in cujus corporale calix subversus effusus fuerit, illudq; rubore suo tinxerit, cum vinum album ad Sacrificandum infusum esset. Id factum circa An. MCCCLXXX. sub Urbano VIII, indeqve ad supplicationem Boxtelensium Pileus Cardinalis tit. S. Praxedis autoritate Apostolica suffultos Diplomate Francofurti dato licentiam dedit, ut sc. *Corporale prædictum Sanguine Christi, ut præmittitur, rubricatum inter reliquias alias semel in Anno Christi fideli populo monstrari valeat, narrando & populo exponendo ea, quæ in præmissis per prædictos testes visa & intellecta fuerunt.* Sed ingens præjudicium religioni huic fuit, qvod nulli fere Urbis & Agri Sylvæ Ducensis Parochi, Sacerdotes, Canonici, & qvi inter Laicos literati, aut magis prudentes ac honorati, qvemvis Religioni Catholicæ additissimi, anniversariam istam devotionem freqventaverint; Nec illepidum fuit dicterium, qvod Parochum aliqvem in vicinia Boxtelensi tunc edidisse ferunt: *Illo tempore in Pago magistratum esse creandum, siquidem prudentem desiderent, eo quod omnes stulti tunc abessent, ad Sanguinem sc Boxtelensem profecti.* Vid plur. *Voet. S. l. III. App. III. ad disp. de Peregrin. Compostell.*

VII.

Materiam rubram v. vel Sangvineam ac sæpe imposturam vulgo credito Sangvini Christi fidem fecisse non uno exemplo comprobatum fuit. Sic in *Cracoviensi Diœcesi* olim rubiginem in manubrio cristallino à Lamella ortam tanqvam Sanguinem Christi diutissime adoratam fuisse ex antiqvis momentis constat; Et ibidem resinam defluentem ab imagine Crucifixi habitam fuisse pro Sangvine Christi Sanctissimus Martyr *Johannes Hus* asseruit in determinatione Qvæstionis cum *Tr. de omni Sanguine Christi clarificato P. I. Opp. fol. 160.* cui etiam plura hujus generis exempla adjicit. Famosus *Sanguis Wilsnacensis* in Marchia nostra ne ruborem quidem habuit, sed à flamma per Cristallum lucente sicqve repercussa mutuo accepit, quod deprehendit, qvi destruxit eum, Joachimus Ellefeld primus Wilsnacæ Religio-

ligionis Evangelicæ Ecclesiastes. Jst nichts anders denn ein veraltetes Bocksblut gewesen/und wie es angerühret worden/ als Fischrägen von einander gefallen/und bald im Feuer vergangen; Es ist auch für sich nicht roht gewesen/ Allein wenn der Schein von einem brennenden Lichte ins Crystall geleuchtet und ein Wiederglantz verursachet hat. Ante quem jam tum imbecillitatem hujus Sangvinis agnovit idem B. Hussus ante citato Tr. *de Sangv. Christ.* & Instantiam ab eo petitam singulari responsio diluit: *Qvando sic arguitur*, inqvit, *iste Sangvis* (*demonstrato illo apparenti, quicquid sit, rubeo, quod in Vuilznack monstratur*) *facit miracula. Nam claudis gressum, cæcis visum, captivis egressum præstat: Ergo illud monstratum est sanguis Christi, visibiliter apparens, summo honorandus. Hic primo respondere debet fidelis negando antecedens, scilicet, quod illud rubeum nescio quid, quod illud facit miracula, & antequam sacerdos avarus probabit illud antecedens, committet prius mendacia valde multa. Nam dicet: Ecce illum ille Sangvis liberavit de captivitate, & illum à morte, & illi gressum restituit. Cum nec certitudinem habeat ex Scriptura, nec ex fide, nec ex revelatione divina, nec ab experimento, nec ex argumento topico, vel alio. Non enim sequitur: Petrus Laicus fuit latro, homicida, fur, incarceratus graviter ad mortem, & vovit votum ad Sanguinem Christi in Vuilznack, ut liberaretur, & confractis ferramentis per violentiam exivit: Ergo ille Sanguis in Vuilznack eum liberavit. Similiter non sequitur: Henrich Cliens ex superbia iniit duellum cum Friderico, & vovet arma illi sanguini in Vuilznack, & occidit Fridericum, ergo ille sanguis in Vuilznack auxilium sibi dedit. Et sicut avarus sacerdos decipitur mendaciter in istis argutiis, sic in aliis scandalose decipit plebem Christi.* Et tamen destructam hanc insaniam maximis periculis luit Ecclesiastes Ellefeldius à qvibus vix ipse Serenissimus Elector Joachimus II. ipsum contra Canonicos Havelbergensis tuendo fuit, cujus causa certe nulla fuit, nisi hanc allegaveris, qvod actus etiam manifesto Idololatrici in Republica non possint è medio tolli nisi autoritate publica, ob pravorum exemplorum periculum. Vid. plur. *Matth. Ludecum* Decanum Havelbergensem in Historia von der Erfindung/ Wunderwercken und Zerstörung des vermeinten heiligen Bluts zu Wilßnack. Hancq;

etiam in classem compegeris *Sanguinem Sverinensem*, qvem particulam Sangvinis Christi esse tradiderunt, atqve Jaspidi inclusam venerati sunt, hoc inprimis argumento, quod singulis diebus Veneris in tres particulas findi crederent: Cui singulari Libro jam initio Reformationis se opposuit Ægidius Faber, von dem falschen Blut und Abgott im Thum zu Schwerin/*cum Præfat. Lutheri Witteb. 1533.* Et in fraudem præsertim *p. 18. & 19.* ita invehitur: Wenn man sie aber fraget/ lieben Herrn/ bitt ich euch/ macht mich gewis im Gewissen/ daß ich nicht zweiffele/ und bringet etwa einen Spruch aus der Schrifft herfür/ der mich versichere/ ihm sey also/ wie der Brieff vom Blut lautet/ daß es sey aus Christi Leib geflossen/ da merck eben auff/ schau ihn frey in ihr Angesicht/ denn wirst du sehen/ wie sie sich selbst schämen müssen/ und entweder wie die Hunde verstummen/ oder werden auff ihr rohte Barreth weisen/ weil auch fast verständige Doctores unter ihnen sind/ den wol bewust ist das Wörtlein *sic volumus, sic mandamus, sit pro ratione voluntas,* oder werden sich beruffen auff das Schimmern im edlen Stein/ darein das Blut gefasset ist/ wie es sich alle Freytage in drey Theil vertheilet/ gleich umb die Zeit/ da Christus am Kreutz war gestorben. Aber du Christen Mensch wende dich von diesem Schimmer ab/ und sprich/ ihr lieben Herren und Väter/ ich laß mich nicht an dem begnügen/ weil der Teuffel auch Wunder kan thun/ sondern gebt her aus der Schrifft das Wort/ das mein Hertz stillen/ versichern und mit sich Glauben bringen mag/ nicht die Miracul/ es stehet auch nicht geschrieben/ daß der Glaube aus Miracul/ sondern aus dem Wort kömmt/ darumb auch der Glaube nicht auff Miracul/ sondern auff das Wort ist gebauet/ Miracul und Wunder mögen die Teuffel und Un-Christen wol thun/ den Glauben aber mögen sie nicht geben/ ohn allein Christum durchs Wort/ nun ists gewiß/ daß sie keine Schrifft für sich haben/ ihre Lügen zu bestätigen/ demnach hast du ein gewiß Zeichen/ daß diß Blut des Teuffels Gespenst zur Verführung der Menschen angericht/ von Sünden nicht helffen kan/ ja es stösset das Gewissen tieffer in die Sünde des Unglaubens/ wendets von Christo ab auff unser eigen Werck/ Wallfarten/ Messen/ Opffer/ rc. darumb sie mit ihren Brieffen zu bestetigen ihr

lügen.

lügenhafftig Blut/nichts anders thun/denn daß sie die Menschen umb ihres Geitzes willen muhtwillig dem Teuffel elendiglich verkoppeln/ und Christo dem HErrn entwenden. Qvod judicium etiam Sangvini Neopolitano S. Januarii applicueris, de cujus extraordinariis Phænomenis alias communis fere Vox est omnium Vitæ Sanctorum Scriptorum, adeo ut *Ricciolus* non dubitaverit exinde fidem Calendario Novo astruere. *Insigne ac perenne miraculum Sanguinis S. Januarii, qui cum* Ampulla *vitrea concretus continetur, & in conspectu capitis Martyris positus colliquescere & fluere perinde ac si recens esset effusus, ad hæc usque tempora conspicitur, non ejusmodi est, ut unius vel alterius hominis testimonio comprobetur, sed ita manifestum, ut ipse Martyris sanguis, assidua miraculorum operatione, vocibus quibusdam, velut Abel Sanguis clamans, per universum Orbem Christianum intonet.* Verba sunt *Baronii in Martyrol.* ad XIX. Sept. Cornel. Grasii *Tit. III. Vit. S.* & cæterorum fere omnium. Sed, uti piximus, responsum jam tum à Fabro fuit redditum; Et prorsus idem est, quod apud Hussum eadem de re habetur. *Et sunt multa alia loca, in quibus maligni Spiritus per malignos Presbyteros sanguinem prætensum propter avaritiam ordinarunt, qui per mendacia seducunt populum, ut impleretur verbum Christi,* Matth. 24. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, scil. illorum sacerdotum, & refrigescet charitas multorum, scilicet, subditorum. Nam illi iniquitatem cumulant decipiendo, & populus refrigescit in charitate, in ipsorum verbis & miraculis confidendo, quæ tamen eis non proderunt, dicente Domino* Hierem. 23. *Audivi quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium.* Et infra: *Qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.* Ac similia de *Sanguine Romano, Veneto, Mantuano, Trovirensi, Antverpiensi, Posnaniensi* dici posse nulli ambigimus; Æternum enim incerta est illa connexio: Isthic Rubrum videri, Ergo Sangvinem esse; Et Sangvinem esse, E. Sangvinem Christi esse; Vel etiam miracula circa Sangvinem visa vel edita fuisse, E. à Sangvine Christi fuisse edita, Confer iterum *Voet. loc. ante cit.*

VII. Tria

VII.

Tria verba adhuc de *Spica Garneti* addenda veniunt. Cum in Anglia de Jeſuita Henrico Garneto ob conſcientiam conſpirationis Pulveris Tormentarii ſupplicium ſumptum eſſet, in ſpicia aliqva ſtraminis fruſtis ſecti Cadaveris ejus ſubjecti fertur effigies Garneti in Gutta Sangvinis denuo apparuiſſe, qvam ideo & Catholici Zelotæ ſumma cum Religione cuſtodiendam acceperunt,& ſingulari icone parteqve Libri, qvem *Apologiam pro Henr. Garneto* appellavit deſcriptam reddidit *Andreas Eudæmon Johannis Cydonius Jeſuita*. Sed examinavit hanc fabulam inter alios Doctiſſimus Vir *Thom. Fullerus Hiſtor. Eccleſ. Angl. ad h. A.* Cui breviter addimus I. Falſo figuram iſtam radiatam pingi,Teſte vel ipſa Jeſuitæ Relatione,qvæ certe hanc circumſtantiam non tacuiſſet. II. In ipſa Figura nihil alinei à natura Liquorum crasſiorum eſſe quorum Guttæ dum lente defluunt, ſuperiori parte tantum ductus aliqvos, inferiori crasſiorem ſubſtantiam & qvidem in rotunditatem, more omnium guttarum, coeuntem exhibent: Atqve id faciei aliqvibus ductibus ſuperius temporum inferius menti ſubinde quidem reſpondere poteſt, ſed inde Prodigia aut miracula formatum ire credulorum erit,non virorum conſtantium: Minime omnium vero pro Garneto aliqvid ejus formari poterit, qvem ne ipſe Pontifex qvidem *Sancti* Titulo, licet Garnetus dum in vivis adhuc erat, id inſtantisſime peteret,poſt mortem dignari voluit, cauſatus negocium, ob quod occumberet, Civile non ſacrum eſſe, adeoqve Sanctitatis aut Martyrii Titulo indignum.